



Nr 28

In hoc libro contineantur.

1. WESSE 222. qui lux mundi dicitur

Opuscula Theologica. ed. Theod. Staeckii.

2. WAGE 888 1233.

De loco Elagico Gen. xliii. 10. ad Christod. Arnoldi Disertac.

3. BR 29 THAVER 5

Observationum Theologicarum ex Com. Lutheri in Ep. ad Galatas.

Exercitationes ex

Programma in Ep. ad Philippi. et Colos.

De notis candideatorum, subi. Disert. Müller de ordinis Reg.

Hyst.

De precium christianarum veritate

De vocatione primaria et secundaria

De vita Christi in fidelibus.

De vera Dæ rerumq. Sacrarum notitia.

De Hæresi iuxta Sæ sensum.

De heretis Pelagianismi in Hypoth. de notitia Imperiorum

Animadversiones Selectæ

De Repugnancia monachorum.

De virtute quatuor una.

De concubinatu.

4. ANTONII

De Harmonia fidei. quæ iustitiae & fidei, quatuor iustificat

De contritione salutari.

De Redemtione per Lytron.

De diuina propagatiōne Religionis sub cruce.

De estimatiōne Ratiōnis theologica

De oecumenicā fideliū

De Peccato traditi.

Veritas christiana religiosis, ipsiudiciorū obiectatiōnibz

De Analogia fidei confirmata.



10

Q. D. B. V.

MEDITATIO THEOLOGICA

DE

DIVINA PRO-  
PAGATIONE RELI-  
GIONIS CHRISTIANE  
SVB CVRCE,

Quam

IN REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

PAVLO ANTONIO,

Th.D.P.P.O.&Consist.Duc.Magd.Confil.

Publico Examini subjecit

AVCTOR

LAMPER TVS *Dedice/*

Gardelegiensis March. iam V. D. M.

Ad diem III. April. A. MDCCVIII.

t


EDITIO ALTERA

A. 1710. mense Nouembri.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.





SYNOPSIS.

§. 1. Divina propagatio argumentum est pro veritate religionis christiana. §. 2. sed non mere humana. §. 3. habet enim malum & error etiam suam propagationem & magnam & facilem §. 4. sed intelligenda jam divina, sub cruce. §. 5. quam trahabimus secundum quinque summa capita.  
 Cap. I. de Auctore propagationis summo §. 1. qui est Christus §. 2. sub cruce natus. §. 3. sub cruce educatus §. 4. sed cruce fixus §. 5. in cruce mortuus §. 6. unde & patet propagationem suam fratre divinam. §. 7. Calumnia Celsi refutatur §. 8. Savonarola infimonium adducitur §. 9. 10. parallelum Jesu Nazareni & Apollini & Muhamedis. Cap. II. de Propagatione ministris & mediis §. 11. ministri fuerunt Apostoli §. 12. illiterati §. 13. pauperes & temeraria fortis sine armis §. 14. unde alumnus Juliani ut absurdum refellitur §. 15. non tamen Apostoli fuerunt creduli omnis §. 16. aut Magi §. 17. parallelismus inter ministros pagani & Muhamediani & Apostolorum & ipsorum propagandi media §. 18. Apostolici viri pari modo religionem christi propagarunt §. 19. 20. Dubium de exemplo Pauli & patrum prima ecclesia solitum. Cap. III. de Indole Evangelii propagandi §. 21. hac cum auctore & ministris convenire debet, & crucis indolem servare. §. 22. Christianum crucifixum annunciat. §. 23. & crucem discipulis Christi inculcat. §. 24. & sanctitatem N. T. urget §. 25. & tamen pacifice, sine coactione aut vi externa. §. 26. instituitur parallelismus inter indolem doctrinae christiane & Paganismi & Muhamedismi. Cap. IV. agit de impedimentis propagationis §. 27. fons deducitur ex inimicitia postea inter serpentis & mulieris serpentes §. 28. impedimenta sub pretextu divini zeli & studii antiquitatis §. 29. primi doctrine christiane hostes fuerunt iudei §. 30. gentium vocazione magis exacerbatis §. 31. & inter fratres fuerunt multa impedimenta §. 31. 32. paganorum post iudeos crudelitas §. 33. decem persecutions. prima sub Nerone §. 34. secunda sub Domitiano, tercia, quarta, quinta - usque ad decimam recensentur brevissime §. 35. hi subiungi possunt Juliani machinationes contra christianismum §. 36. ex his deducitur divina religiois christiana propagatio. §. 37. cum collatione Paganismi & Muhamedismi. Cap. V. agit de religione christiana duracione perpetua §. 38. sub cruce perpetua §. 39. quam pagani ultra 360. annos extituerunt non sferabant. §. 40. a duracione & propagatione regnorum differt §. 41. etiam a paganismi & Muhamedismi §. 42. 43. Spes probabilis sub finem seculi §. 44. sed praenitibus summis adversitatibus. §. 45. concluditur tota tractatio deducto porismate, quod Religio Christiana sit vera.

\* (4) \*

## DE DIVINA PROPAGATIONE RELIGIO- NIS CHRISTIANÆ SVB CRVCE.

§. 1.



Unt multa & præclara Argumenta, quibus christianaæ religionis veritas a christianis Doctòribus probari solet, non tantum adversus obtrectatores paganos, sed etiam adversus hodiernos Atheos & Scepticos, qui quidem in hac ultima fæce mundi, ut non immerito *illustris Mornaus* conqueritur, non ut antea musitare, & in aurem quasi suffrare videntur, sed suggestum confundere, & in Deum, Christumq; ejus palam debacchari. Inter ea autem argumenta, quæ afferti solet, non infimum sane locum occupat, **ILLUD DE ADMIRANDA ET DIVINA RELIGIONIS CHRISTIANÆ PROPAGATIONE.** Quod ut ab omnibus fere, qui pro veritate religionis christianæ scriperunt, quam maxime urgetur, sic & omnino in se haber, quod animum docilem & attentum, [nam pertinaciæ nullum remedium] tum de religionis christianæ veritate, tum divina auctoritate, facile convincere possit.

§. 2. Fatemur tamen, magna opus esse cautione in hoc Argumento, ne, cum probare volumus Religionis Christianæ veritatem ex ipsius admiranda propagatione, eam ludibrio magis Atheis atque Scepticis exponamus, ut qui quidem propagationem Religionis Christianæ negare non possunt, sed tantum meram humanam & politicam & non divinam eam faciunt, aut sibi fingunt; ut vel fuit Regnorum mundi, vel Paganismi & Muhamedanismi, qui etiam ab exiguis initiis, ad summa pervenerunt, & sua propagatione politica, immo fraudulenta & impia, ( si externam vel latitudinem vel celeritatem spectes:) Christianæ Religionis propagationem non exequant solum, sed etiam multum superant.

§. 3. Celerior enim & facilior plerumque esse solet mali & errorum propagatio, quam veritatis, latiusque serpit venenum

\* (5) \*

nenum stultitiae inter stultas hominum mentes, quam antidotum verae sapientiae divinae satis remederi potest, quod ut molestem & asperum, plurimi hominum fugiunt, & adsperrantur, occurrunt fraudibus Satanae, & corruptae suae rationis Dialogismis decepti misere. Veritas enim, & vera sapientia divina, ut sursum tendunt, sic tardiori gressu ad suam maturitatem procedunt, mendaciis & erroribus e contrario deorsum sponte ruentibus.

§. 4. Longe aliter igitur consideranda est Christianae religionis propagatio, qua ex propagatione externa, dijudicari non potest, nec debet; sed ex propagationis mirabili modo, methodo, & divinae indole, quibus vere differt ab omni propagatione politica, seu mere humana, neandum fraudulenta: Ut quae humanis viribus, consiliis, & fraudibus saepe nititur, & prater divinae providentiae justissimum regimen, nihil divinitatis sub se habet. Propagatio vero Religionis Christianae, ut divina est, sic non his externis mundi subsidiis, potentia, viribus, & armis facta est, sed sub cruce, & mysterio crucis, sequi sola verbi victoria, per totum terrarum orbem, magno sane miraculo diffudit. I Thessl. 2, 2-6. 13. Phil. 1, 12. 13. Solet enim hic proprius operum Dei & verbi sui esse character, ut sub perpetuis afflictionibus, & sub abscondita crucis sapientia, per infinitas fere difficultates, ad felicissimam tandem, atque gloriofissimam emergat, victori-am. 2 Cor. 4, 7-1, 9. 10. 12. Ps. 84, 4-7. 8.

§. 5. Quod cum ita sit, opera pretium esse duximus, hoc christiano dignum, immo dignissimum argumentum, de admiranda & divina propagatione Religionis Christianae, sub cruce facta, pro viribus nostris hoc specimine Academico paulo uberius declarare, hac methodo, ut I. ex Auctore bus propagationis, qui eam sub cruce propagavit, II. ex ministris bus propagationis ipsiusque medis, seu adjumentis quibus ea sub cruce propagata est, III. ex indole crucis doctrinae propagata, IV. ex ipsis impedimentis factisque obstaculis, & denique V. ex ipsis duratōne perpetua, divinam ipsius indolem & religionis Christianae ve-

\* (6) \*

ritatem clarius demonstremus. Fauxit Deus, ut cæptum institutum, ad ipsius gloriam feliciter prosequamur!

CAP. I.  
DE AUCTORE PROPAGATIONIS.

§. 1.

**R**eligionis christianæ propagatio Auctorem agnoscit Iesum Christum Nazarenum, æternum Dei verbum, qui ut est & fuit in abscondito patris sui & æternitatis finu, sic in mundum venit, ut Lux mundi, ut illuminet omnes homines, Joh. I, 1. 9. 18. venit, ut voluntatem Dei gratiosam de nostra salute, & magnum illud μυστήριον εὐσεβίας (1. Timoth. III, 16.) nobis explicaret, nosque sanctissimo suo sanguine redimeret, & aberrantes ad cœlestem patriam reduceret. Hic dum in terris esset, prima fundamenta religionis suæ ipsæ jecit, doctrinamque suam in Iudea propagare incepit; ut nempe a Domo Israelis inciperet, qui ipsis peculiariter in partibus Veter. T. promissus erat, ut ipse satetur Matth. XV, 24. non missus, (scilicet in sua persona & Doctrinæ suæ initio,) nisi εἰς τὰ ἀπολωλότα πρέβατο δύος ιορδάνης confer Auctor. XIII, 36. & Iosserii, cuius vulgo nomen habet, Harmoniam Evangelicam p. 342. in cap. XV. Matth. Et Origenes contra Celsum Libr. VI. p. 329. in fin. unde & ad Romanos XV. dicitur Διάκονος περιτομῆς. Nolebat etiam ante suam passionem & Ascensionem, ut discipuli sui irent ad gentes & Samaritanos; sed ut potius, (μᾶλλον, scilicet pro hoc tempore,) irent ad depertidas oves domus Israelis. Matth. X, 6. Non tamen his terminis quasi cancellis, sui evangelii propagationem coartare voluit, sed eam latusime & gentibus patere, & gentibus etiam oblatum iri prædictum, Johan. XII, 32. & Johan. X, 16. Matth. XXVI, 13. Ipse etiam ante suam in cœlum ascensionem aperte suis discipulis præcepit, ut irent in universum mundum, & omnibus gentibus, immo omni creaturæ sub cœlo, annunciantem latum suum Evangelium Matth. 28, v. 19. & Marc. 16, v. 15.

§. 2.

§. 2. Hujus Jesus Nazareni, si totum curriculum vitæ accuratius scrutamur, discemus ex ipsius exemplo, quomodo Religio Christiana sub cruce fundata, & sub cruce etiam propagata sit. Ille enim, quanquam esset unigenitus Dei filius, benedictus in secula, & magnus Apostolus Dei, ut vocatur Hebr. III, i. in tanta tamen exinanitione venit, ut sub cruce natus sit, sub cruce vixerit, & in cruce tandem mortuus sit, eo fine, ut quoniam mundus in sua sapientia crucifuga, Deum non agnovit, per stultam concionem crucis, (ut mundo videbatur) salvet salutis suæ cupidos. 1 Cor. I, 21. Natus quidem est ex regia Davidis stirpe, ex Matre virginе Maria, sed in summa paupertate, sine omni natalium splendore, potentia, & gloria, non in aula, sed in caula. Prædictum enim erat à Prophetā Jesaia, progerminaturum esse tenerum surculum ex detruncata radice Jesse, Jesa. XI, i. conf. Es. 53. v. i. quod cur de radice Jesse, & non potius Davidis dicatur, ad nativitatis ipsius humilitatem & mysterium crucis eleganter applicat Rupertus Tuicensis libr. XI. de Victoria verbi cap. 19. in fin. Ita nobis suo exemplo commendare volebat amorem crucis, qui sub cruce se sponte dederat, ut doctrinam & vitam divinam, vitæ animali & sensui carnis plane contrariam, hac via crucis propagaret, atque Satanæ regnum foriter destrueret. Ita enim factum quod cantilena habet: Er kam in einer armen Gestalt den Teuffel wolt er sangen confer. de hoc Henricum Morum in Mysterio pietatis. lib. IV. c. I. p. 123-224. Vix natus erat, cum & a suo peculio rejiceretur, & ab Herode ad necem quereretur, ita, ut infans vix furorem hostium effugere posset fuga in Ægyptum: quod certe non leviter erat indicio, ipsius doctrinam & regnum non esse de hoc mundo, nec inventum politicum, sed mysterium crucis, sorbens Pseudo-Clero Pharisaico, & Pseudo-Politicis Herodianis.

§. 3. Educatus est, non in scholis Pharisaorum, aut ad pedes doctorum Rabbinorum, quorum jam anno duodecimo non discipulus, sed Doctor erat Luc. II. 46. 47. Sed quod mirum! in officina Josephi, fabri lignarii: Unde non solum

Judæis

Judeis per contemptum vocabatur filius fabri lignarii, Matth. XIII, 54. sed etiam ὁ τέκτων, ipse faber lignarius, Marc. VI, 3. quasi in comperto esset traditio Justini Martyris, qua Jesum in sua pueritia in Josephi officina aratra fecisse perhibet vid. Alix Reflexiones part. 2. lib. 2. c. 7. n. III. Unde hoc ipsum nomen fabri lignarii ipsi a Celsio obrectatore pagano exprobratur, apud Origenem lib. VI. contra Celsum p. 299. Edit. Cantabrig. Itane Doctorem mundi decebat sapere sine Doctrina & sapientia humana? decebat omnino, ut non vana humanæ sapientiæ ostentatione, & acquisitis fallendi artibus, ut Simon Magus Actor. VIII, 9. seq. populum decepisse & fascinasse videretur, sed efficacia verbi sui & divina potentia sub cruce, vicisse hominum mentes ostenderet. Fastum enim intolerabilem humanæ sapientiæ, justo zelo & divino adspersnatus est Jesus, & ad νηπίους se convertit, esurientes & humiles, qui soli dociles & idonei sunt discipuli cœlestis sapientia. Matth. XI, 25.

§. 4. Vixit Jesus vitam innocentem, sanctam & simplicem, nulla tamen sanitatis Pharisaicæ affectione asperam, nec rigori Johannitico similem, ut ipse de se fatetur Matth. XI, 18. 19. Potens fuit in verbis & factis Luc. XXIV, 19. Sed sine humana potentia & eloquentia. Auram popularem adeo non captavit, ut ubique multo sale suos ad populum sermones condiret, oblatumque ipsi a populo honorem fugeret Joh. VI, 15. Magistratui humano & legibus externis se lubens subjecit Luc. XX, 25. collat. Matth. XVII, 27, idque non astuta simulatione, sed ex sinceritate cordis, cum tamen Rex esset Regum & dominus dominantium. Vilis fuit aspectu, contemtus a plurimis, exosus Pharisais, & Herodianis; alienus tamen a fraude, à turbis & seditionibus, à crudelitate & armis: Mitis, humilis, & benignus per totam vitam: Miracula multa fecit, non ostentacula, sed beneficia, quod & ipse Julianus & Judæi negare non possunt, nec unquam negarunt. Cæcis enim visum, surdis auditum, leprosis sanitatem, claudis integritatem, mortuus vitam reddidit: confer. Henr. Morum in Mysterio pietatis lib. III, c. V. p. 130. & Eduard. Stilling-

\* (9) \*

*Sittingfleet origines sacras lib. II. c. IX. p. 504. seqq.* Et id quidem vel absens, vel solo verbo, aut levi contactu, præsente populo, sine omni suspicione Magiæ vel illusionis diabolica; qua tamen accusatus est ab impio Celso & Juliano. Ex quibus sane miraculis divinis jam satis appetet illum, ut Origenes loquitur, talia præstare non potuisse absque Deo (*δειγυνται γαρ εκ αθεοτα τηλικαιντα δεδυνημένοις.*) Discipulos habuit paucos, duodecim in familiari & quotidiana consuetudine, ut futuros Apostolos, septuaginta autem, ad præsens verbi ministerium inter Judæos. Præter hos, asseclas nec fecit, nec accepit Luc. IX, 57. seq. ne forte turbas facere & tranquillitatem publicam tentare videretur. Convitia, persecutio[n]es, & odia Pharisæorum, simul & Sadduceorum, Herodianorumque, invincibili tulit patientia. Nemini asper, nisi quod asper vi-fus hypocritis, Matth. 23. tot. Nunquam iratus, nisi divino zelo incensus, pro domo & grege suo Joh. I, 17. Joh. X, 8. Sic sub perpetua cruce vixit Jesus noster, sine omni affectatione imperii, aut gloriæ, nullaque alia via nisi sua doctrina, miraculis, & exemplo suo propagavit Religionem Christianam.

§. 5. Tandem vero passus est indignissima, paucis ante mortem diebus, flagella, sputa, spinas, & spinis acutiora disteria. Agnellus innocens inter lupos rapaces. Passus autem est, non in obfirmatione quadam stoica, aut stupore quodam animi, multo minus ex vana vana gloriæ affectatione; sed ex patris cœlestis voluntate, præsentis animo, & constanti sobrietate, non tamen sine maximis corporis & animi cruciatis, quos nec discipulos suos, nec ipsos suos hostes celavit. Nolebat enim in suis passionibus videri humanitatem exuisse, qui, ut verus homo, pro hominibus his plagiis afficiebatur: sed nostros morbos vere tulit, & dolores nostros pro nobis portavit, ut sub hac summa crucis ignominia etiam nobis fieret & Domum, & exemplum, suoque proprio sanguine, tanquam sanctissimo semine, suam Religionem propagaret, & per totum mundum spargeret. Postquam ex angustia & ex judicio accepta-

*esus est, generationem ejus quis enarrabit? Es. 53. v. 8. factus quidem est vir dolorum. Macar. Hom. 26. §. 25. 26. & pro nobis gravissima sustinuit supplicia, tandemque illusus & condemnatus ab omnibus fere, in cruce, medius inter latrones, miserrima morte periiit. Sed certo non periiit, verum ipsa morte in cruce gloriosissime triumphavit. Hostis enim qui vicisse videbatur, hoc ipso victus est, & qui fidem christianam in prima herba suffocasse putabat, eam plantavit. Cum enim (ut Ruperrus Thuringiensis loquitur) adversari cupit, famulatur proposito Dei, dum se devorare purat talem beatam mulierum filium, valde proficuum consilio ejus prestat obsequium. lib. XII. de Victoria verbi c. X. & idem lib. XII. c. XIV. Si cognovisset Leviathan sive Cetus magnus quin mari est,bamum sub Carne latuisse ferreum, nunquam carnem ipsam momordisset, quo tegebatur ferrum. Sciebat quidem ipsum esse filium Dei, & ob salutem venisse generis humani, sed ne sciebat secretum a seculis absconditum sapientia Dei consilium, quod de morte unius renasci deberet vita omnium. confer. Macarium Hom. XI. §. X. tot.*

S. 6. Hiccine igitur, Jesus Nazarenus, qui in tanta paupertate natus, educatus, per totam vitam tot afflictionibus defatigatus, tandemque miserrima & ignominiosa morte crucis trucidatus est, hic inquam, qui omnis Crucis exemplar nobis factus est, humanis viribus & consiliis, nisi ipse deo fuisset, tantum opus praestare potuisset, quod praestitit, in instauranda & propaganda religione christiana? quid Rationali carnali magis absolum? quid magis adiutorum & supra omnes humanas vires evectum videtur? & factum tamen est, ut unus ille, ceu Celsus calumniatur blasphemus, Mendicus & Circulator, paucis annis, tot regna & populos sibi & Religioni suis subjugari. Queris, quibus rebus? potentia forsitan? ita debebat fieri, si humanis viribus, & non sub cruce suam Religionem propagare voluisset, sed factum non est. Vel divitiis & voluptatibus? quibus illecebris mundus incautas mentes inescare solet? sic fecisset sane, si auram captasset, popularem, & Regnum ejus esset de hoc mundo. vel faltem eloquentia & auctoritate? & haec nulla fuit, nisi divina sub ipsa

ipsa cruce & crucis stultitia omnem mundi sapientiam &  
πιθανολογίαν superans.

§. 7. Quam inepte igitur & temere Celsus id Christo expro-  
brat, quod tamen de ipsius innocentia & de Religionis christia-  
næ divina propagatione quam luculentissime potius testatur,  
cum dicit: si divinus Spiritus esse voluisse, præ ceteris illum debuisse  
excellere statura, aut forma, aut robore, aut voce, aut Majestate aut  
eloquentia: sed Iesum nostrum, nostra ipsorum confessione fuisse par-  
vum, deformem, & humilem. vid. Origenem contra Celsum lib. VI.  
p. 327. Quid, queso, impudentius dici poterat? Hæc enim  
qua postulat, nonne sunt omnia vita animalis dona? qua  
vel in pessimum quemque impostorem cadere possunt, &  
magis si in Christo fuissent, suspicionem fraudis augerent no-  
bis, quam minuerent! Sed ita male sana ratio, semper quid  
in utramque partem sapientiæ divinæ obmurmurare posse,  
habebit. Idem Celsus μωρόσοφος paganus, ignorans myste-  
rium Crucis, christianos graviter accusat: Quod si quid no-  
vare voluisse in cultu Deorum, cur non magis si nolcent Aesculapium  
aut Herculem, vel Orpheum virum ut putat, οὐδούγειν τὸ στόχον.  
σάμενον πνεύματι καὶ ἀυτὸν βιάζεις αἴποθάνοντα, elegissent, vel Anax-  
archum philosophum, qui tanta fortitudine mortuus esset sub pisellis  
Tyranni, vel Epictetum vere patientem, vel saltem ex suis cur non ma-  
gis Jonam seu Danielem eligent, quam quod Iesum Nazarenum cru-  
cifixum, Deum fecerint, qui tamen morte miserrima perierit & nil  
tale fecerit. apud Origenem contra Celsum lib VII. p. 367 sq. Sed  
quaminqua est hæc pagani obtrectatio? qui in stoica Ανατολα  
divinitatis prærogativam ponit, quam vel pessimus furor induere potest, sine divina & submissa patientia, quique ex-  
cellentiam divinam cum humana tam inepte comparat. Non-  
ne vero majori evidenter nos, inverso pagani argumento, ar-  
gumentari possumus? Quod cum Christus Iesus Nazarenus,  
neque statura, neque forma, robore, aut voce, aut Majesta-  
te, aut eloquentia humana, aut si ipsi placet, fortitudine stoicæ  
præ ceteris excellere voluerit, sed sub cruce perpetua vi-  
xerit, & tandem miserrima morte perierit, & tamen tam stu-

pendum negotium in se suscepere, nullisque viribus huma-  
nis, nisi verbo suo & miraculis, quam felicissime illud per-  
fecerit; quod, inquam, non posse non esse vere divinus,  
quem colamus, & quod non posse non vera esse ipsius,  
quam instauravit & propagavit, Christiana Religio: Siquidem  
in tota vita Jesu, nulla vel levissima suspicio fraudis vel com-  
menti humani, sed indubitate veritatis signa ubique apparent.

§. 8. Non possumus, quin verba Hieronymi Savonarola, Flo-  
rentini, ex ipsis triumpho crucis libr. II. cap. XIII. p. 133. sequ. hic no-  
stra faciamus, cum nostro Argumento fint accommodatisi-  
ma. Ille inquit; aut hic Jesus Nazarenus crucifixus, quem adorant  
Christianii, est verus Deus, & prima omnium causa; aut non est. Si  
primum detur, solvitur disputatio, quia si est Deus, oportet fidem chri-  
stianam, & universam ejus doctrinam atque Religionem esse veram. Sin  
autem secundum, sequitur Jesum Nazarenum fuisse (absit verbis blas-  
phemia!) super omnem arrogantiam nefandissimum: qui purus homo  
mortaliusque cum esset, se Deum maximum estimari, & ab omnibus ado-  
rari voluerit: ex quo cum mendacissimum pessimumque dicere oportet.  
Quin etiam pari arguento sultissimum, quod talem tantamque  
provinciam fuerit aggressus. Quid enim magis rationi contrarium,  
quidve insanum ac ridiculum magis inveniri potest, quam quod humili  
& mendicus homo, absque armis, atque opibus ullis, inexpolite solum  
ac nude lingue mucrone, immo potius horrende mortis supplicio, con-  
tra divinam Majestatem contendere ausus sit: atque illi debiti honoris  
ffolia detrabens simul omnes homines, tam potentes, quam sapientes  
imbecillos quoque ac rudes, nova, & inaudita Religione involvere ten-  
tarit, ac simul omnes aliorum Deorum cultus & ritus demoliri, mun-  
dumque universum tot ante seculis certis legibus instar currentis fluvii  
aſfuetum, alio ſtatuisse divertere, ac penitus immutare. Seque inſuper  
ut Deum coli inſerit; idque non ſolum in vita, ſed multo amplius post  
ejus acerba necu conſummationem: ea lege, ut ipſum mortales non mo-  
do diligenter, & adorarent, ſed repugnante natura diſſicillima queſi  
at proſrus intolerabilia ob ejus amorem patarentur: ac denique nulla  
panarum atrocitate deterriti, mortem ipſam ultimum terribilium per  
quam libenter ſubirent? Hic ego te ſane interrogem, quisqua es, ſi quis  
mor-

mortalium hæc se facturum policeatur, aut animo revolvat, & pectoris  
arcانum sui tibi aperiat; quidnam quo, quid dices? num alium  
quendam insanire magis putares? nonne eo maiore cachinno subsannan-  
dum, quo minus hæc fieri posse judicares? Si igitur Jesus Nazarenus non  
sit Deus: qua ope fretus insipiens sacrilegusque seductor contra patrias  
leges, contra principes, contra sapientes, & adversus universum ter-  
rarum orbem reluctantem, contraque infernas, & superas potestates, de-  
nique contra supremum omnium conditorem adeo dimicando pre-  
valuat; ut coequalis Deo habitus sit, & pari veneratione receptus, ac  
predicta omnia inter tot repugnantia tam longo aevio insuperabilis obti-  
nuerit? Cur, o Judei, Deus uester, mundi Rector & cœlos tantum  
impietatis scelus permisit inultum? Hic ego vos gentiles appello. Cur  
hunc Dii vestri non expulerunt? quomodo hinc adeo deesse Deus homo cruci  
affixus & mortuus eam vim post se reliquit, ut tot ac tanta pepererit?  
Quis unquam eorum, qui pro Diis habiti sunt ne dicam hominum,  
hunc fuit comparandus? cum eorum rixa, sacrilegia, & incestus etiam  
apud suos cultores nefaria existimetur. Haec tenus Savonarola, qui  
fusius hæc citato loco prosequitur, quæ quidem omnia recen-  
sere nimis forte longum & tedium foret. Id tantum attu-  
lisse sufficiat, ut agnoscamus, Jesum Nazarenum, auctorem  
Christianæ religionis, eam in tanta sua humilitate & summa  
exinanitione, plus quam humana, & vere divina virtute &  
potentia, sub cruce fundasse & propagasse.

§. 9. Quod si vero nobis à paganis vel hodiernis Atheis  
atque Scepticis opponatur exemplum Apollonii & Mahummedis,  
quorum ille quidem in tanta inter paganos celebritate fuit, ut  
philostrato teste, a multis pro Deo coleretur, hic vero ex infima  
plebe oriundus, & homo rudis, tanto successu suam religio-  
nem brevi tempore propagavit, ut fere totam orientis pla-  
gam occuparit, ipsamque Christianam Religionem his locis  
olim florentem expulerit; & his etiam responderi poterit ob-  
jectiunculis. Uterque enim, si cum Jesu nostro Nazareno  
comparandus sit, apparebit præter viram animalem crassum-  
que carnis sensum nihil plane divini sapere. Apollonius qui-  
dem [ si modo is certe fuit, de quo multi adhuc dubitant;

non immerito suspicantes, *philastrum ad Christi exemplar*<sup>a</sup>  
 hanc *Apollonii* expressissime effigiem, & pleraque ex Christi Jesu  
*Historia Apollonio* accommodasse, nequid Ethnici Christianis  
 invidere possent. vid. *Huetii Demonstration propos. IX. §. III. p. 1061.* ]  
 sed demus illud Adversariis, illum fuisse in terris, certe ta-  
 men nihil aliud quam asstutissimus magus, & artium pseu-  
 do-politicarum callentissimus fuit, quibus non nisi vanam  
 gloriam, & paganismi cadentis quæfavit propagationem, utin  
 accurata comparatione ipsius vita & miraculorum cum vita  
 Christi & ipsius miraculis, fuse, sed solide ostendit *Henricus*  
*Morus in mysterio pietatis lib. IV. cap. II. III. & IV. p. 124. seqq.* Ma-  
 humedes vero homo ex fraudibus & mendaciis totus com-  
 positus, qui non nisi aperta vi & multo sanguine impiam su-  
 am superstitionem, ex Judaismo, Arrianismo, & Christianis-  
 mo compilata, propagavit, adeo non cum Jesu nostro Na-  
 zareno comparari potest, ut confidenter cum laudato Savona-  
 rola de ipso dicere possumus: *Quid vero magni i verutissimus*  
*ille Dux arabum Mahumethes effecit. Hic projecto nunquam se De-*  
*um afferuit: qui tamen verbis, & gladio præpotens, armis, & mune-*  
*ribus, & lascivienti voluptatum licentia barbaram imperitamque mul-*  
*titudinem sibi adjunxit. Nonne & ipse Christum honorifice confessus,*  
*nihil supra humanas vires arque verutias preseculis? talis nempe non*  
*fuit Jesus Nazarenus. In Triumbo Crucis lib. II. p. 137. c. XIII. Quam*  
*ridiculus subinde fiat fictio suis ad ostentationem miraculis,*  
*videri potest in *Henrici Mori Mysterio pietatis libro V. p. 164. seqq.**  
*conferri etiam ad hæc meretur *Carolus Wolzeley Baro Anglus in**  
*warhaftigen Glaubwürdigkeit heiliger Schrift p. 239. seqq. & Ha-*  
*go Grotius de veritate Religionis Christianæ lib. VI. §. 4. 5. 6. qui dum*  
*comparationem inter Christum & Mahomedem instituit, suc-*  
*cincte rem his verbis complectitur: Jesus Mahumethis ipesus con-*  
*fessore erat Messias ille, in legé & prophetis promissus: ab ipso Mahu-*  
*mete vocatus Dei verbum, mens sapientia: dicitur eidem nullum ex ho-*  
*minibus parrem habuisse. Mahumethes solito naturæ ordine genitus et-*  
*iam à suis creditur. Jesus vita semper immaculata, cui nihil objici pos-*  
*set: Mahumetos diu raptor, mulierosus semper. Jesus in celum eve-*  
*ctus*

\* (15) \*

*Eius fatente Mahumete: Mahumedes in sepulchro detinetur. Utter  
potius sequendus sit, quis non videat?*

§. 10. Differt igitur quam longissime Christiana Religio  
hoc ipso propagationis sua Auctore Jesu Nazareno, ab omni  
propagatione politica, humana, & fraudulenta, ut quæ nihil  
magis fugit, quam hanc viam crucis, qua Christiana Religio  
divina & supernaturali virtute, auctore Jesu, fundata &  
propagata est. Unde non potest non suam veritatem & divinita-  
tem, contra omnes Adversariorum calumnias probare foli-  
dissime.

## CAP. II.

### DE PROPAGATIONIS MINISTRIS ET MEDIIS.

§. 11.

**S**ed pergamus nunc ad ipsos etiam propagationis mini-  
stros post mortem Jesu Christi, quibusque mediis illud ex  
mandato sui Magistri in universum mundum sub cruce propa-  
garint, paululum videamus. Fuerunt illi duodecim Aposto-  
li, quibus ante suam in cœlum ascensionem ut manerent Hie-  
rosolymis, promissionemque Spiritus S. expectarent, præcepe-  
rat, ne tantum munus, quo fungi debebant, ut communies mun-  
di doctores, ex temeritate seu fiducia propriarum virium ag-  
gredierentur, sed ex unctione Spiritus Sancti. *Aetor. I, 8.* Ipsi fe-  
re omnes *αὐτόπται* fuerant miraculorum Christi, qui eum in  
carne viderant, & cum ipso dudum versati fuerant, ut, quem-  
admodum Johannes loquitur, non ex incerta aliorum fide &  
narratione penderent, sed annunciare possent, quod audissent,  
vidissent, & manibus quasi palpassent, περὶ τῆς λόγου τῆς ζωῆς,  
*i. Job. I, 1.* Unicus Apostolus Paulus, qui *σεμνῶν τῶν αποσόλων*  
vocat, ut discipulus Christi, illum antea non secutus fuerat,  
nec eum viderat in carne, nisi post suam resurrectionem, ut  
ipse fatetur. *Corinth. XIV, 8.* Qui tamen nec suum evangelii  
habebat ex aliorum Apostolorum doctrina, seu informa-  
tione, sed ex immediata revelatione Jesu Christi, ut pro-  
bat adversus Pseudo-Apostolos in Epist. ad Galat., c. I, v. II. 12. 15. 16.  
17. seqq.

§. 12.

§. 12. H̄i igitur Apostoli omnes, ut numero pauci fuerunt, & ad tantum negotium humano quidem judicio haud sufficienes; sic etiam fuerunt illiterati, & ad humanam sapientiam in scholis Pharisaeorum, excepto solo *Paulo*, nunquam erudit, qui nec ingenio, nec eloquentia, nec auctoritate nominis, tantum pollebant, ut humano consilio tantum in se suscipere munus auderent, multo minus vero perficere illud possent. Constat enim sibi etiam debebat in Apostolis divina propagationis indoles, ut Christo auctore sub cruce incepere, ne forsan id humanis tribueretur viribus, quod divinæ providentiaz & potentiaz laus esset propria. Sic enim (ut cum *Salviano Massiliensi* loquamur) legimus (& ipsa experientia observamus) q̄od si quando evidenter intelligi Deus voluit, magna opera a se patrari, aut per paucos aut per infimos acta res est, ne opus coelestis dixerit, virtuti assignetur humana, de Gubernatione Dei libr. VIII. Edit. Brem. p. 138.

§. 13. Ne tamen id, quod eruditione & eloquentia non potuerunt, vel dignitate personæ, vel divitiis, vel armis & potentia effecisse viderentur, Salvator hos Apostolos non elegit ex magno Synedrio, quod Hierosolymis erat, vel ex Rabbini-  
rum & Pharisaeorum senatu, vel tandem ex ordine politico & militari viros manu fortis & consilii plenos, sed ex infima plebe, homines tenuissimæ fortis, pescatores & pauperes, qui ab omni fortunæ splendida invidia remoti, vitam simplicem & tranquillam egerant, sine ulla ambitione, aut vano gloria studio: qui nec erant illustri genere nati, nec armis nec consilii pollentes, quique talem propagationis successum, licet audacissimi fuerint, sibi nunquam somniando fingere aut imaginari potuissent. Ita enim placebat divina sapientiaz, per h̄c crucis paradoxa, imo contraria, suæ majestatis & veritatis gloriam eo manifestius universo mundo declarare. ή γάρ δύναμις τε θεος ἐν τῇ ἀθενείᾳ τῶν ἀποσόλων ἐδείκνυτο μειόνως καὶ διελαμψεν, ὅτι ἀθενεῖς ὄντες, τῶν ιχυρῶν περιεγένοντο, καὶ πάντες ὄντες, τῶν πλεσίων ἐπεξέτην, καὶ ἴδιωται τυγχάνοντες τῶν σοφῶν περιῆσαν, *Isidorus Pelusiotæ* libr. I. epist. IV. citante *Kortholt* in

\* (17) \*

in Obrechtat. pagan. p. 192. §. 27. conf. Alix Reflexiones Part. II. lib. II.  
c. XV. totum.

§. 14. Quam imperite & stolidē igitur Julianus Religionem Christianam apud Cyriillum libr. II. calumniatur, quod sit πλάστρα Ανθρώπων ὑπό καινοτρίας συντεχεῖ Commentam hominum, malitiose confitum, cum nihil minus vel in ipsum Christum, vel in ipsius Apostolos quadret, aut quadrare possit, quam hujus accusationis tantum levissima suspicio. De Iesu Christo id supra jam satis ostendimus; de Apostolis vero ex jam dictis patet, & ex sequentibus adhuc patescat clarius. Fuerunt enim illi plebejī & idiotae, pescatores, manuum labore viētum tolerantes, qui etiam si voluissent, fabulam ira apte coherentem & per omniam filii respondentem, excogitare non potuissent, multominus sperare, se coti mundo eam persuadere posse; ut scite argumentatur hic Limborchius in Collatione cum Iudeo eruditō p. 120. seqq. Quare rectissimæ Origenes contra Celsum libr. I. argumentum invertit, quod Celsus ex ruditate & paupertate Apostolorum, contra Christianam Religionem adduxerat. Eos (enim inquit) qui prudenter & candide (Φρούρως καὶ ἐνγνωμόνως) res Apostolorum examinare possint, facile perspicere, quod divina virtute Religionem Christianam docerint, tantoq; successu subjecerint homines, cum non calluerint eloquentiam, & differendi rationem, artes grecorum dialecticas & rhetoricas, quibus subigere potuissent auditorum animos. Pergit etiam ibidem libr. I. p. 48. Mibi sane videtur, si aliquos opinione vulgi sapientes, idoneos sapere ac loqui, ad multitudinis gratiam elegisset Iesus, quorum in docendo uteretur opera, non evasurum cum suis suspicionem, quasi more philosophorum, novam aliquam scđlam suo nomine vellet insituere, neq; promissum de divinitate doctrina representatum esset καὶ ἔκει τὸν οὐ περὶ τῆς θεοῦ εἶνας τὸν λόγον; απαγγελτὰ αὐτοφαύνετο) quasi Sermo Dei & predicatio ejus esset in persuasione locutionis & crudita elegantique dictionum structura, & fides, ad morem illius, quam de suis dogmatiis habent philosophi seculi, esset in sapientia hominum & non in virtute Dei. Nunc vero quis videns pescatores atque publicanos, ac ne prima literarum quidem rudimenta scientes, ut Evangelista scribunt de illis, & ipse Celsus hac parte libenter credit de eorum imperitia, con-

denter non solum Iudeos alloqui de fide in Jesum, sed & inter reliquas gentes eandem efficaciter predicare, non quereret, unde nati sunt tantam persuadendi vim, (δύναμις πείσματος) qua non fuit vulgaris? Ecquis non dicat, promissum illud, venire post me & faciam vos pescatores hominum, expleuisse Jesum in discipulis divina quadam potentia? balterius Origenes. conferatur idem lib. III. contra Celsum p. 135.

§. 15. Neque tamen Apostoli, in hac morum simplicitate, ruditate & paupertate, creduli nimis & superstitione nobis videri possunt, qui non solliciti de veritate doctrinæ Christi, in ipsius tantum verba jurarint, deceptique fraudibus magistri sui, & alios deinde incauti deceperint. Longe enim aliter nobis describuntur in historia evangelica, quomodo cum απίστα & ὀληγόποιτα luctati sint sapientissime, & hac de causa sapientis a Christo reprehensi. Et quam stupidi præcipue fuerint in recte capiendo mysterio crucis, ex præjudiciis Judaicis, putantes Regnum Christi venturum esse cum externa mundi pompa, ad liberationem populi Judaici, inde patet, quod quotiescumque de morte & passione locutus sit, aures quasi obturarint, & Petrus plane Christum redarguerit, ut sibi parceret, & haec a se averteret. Matth. 16. v. 22. Immo in ipsa Christi passione & morte, quam præ nimio timore dissipati, & sua spe dejecti sunt, exempla Petri Christum abnegantis, & Discipulorum Emauentem euntium, & Thomæ ad Christi apparationes nimis increduli, satis manifeste probant. Ut vel ex hoc agnoscit posse Christianæ Religionis veritas & divina efficacia, qua tandem isti infirmi & scrupulosi Discipuli, adeo corroborati & firmati sunt, ut in suo apostolatu, constanti & insuperabili fide, Christum crucifixum prædicarent, & hanc suam confessionem tot afflictionibus, & tandem suo ipsius sanguine ad extremum vitæ halitum obsignarent: quod sane non fecissent, si vel levissima in iis dubitandi ratio, vel occasio adhuc remansisset. Seckendorffii Christen-Staat lib. I. c. VII. p. 84. 85. conferantur Eduard Stillingfleet Origines sacra libr. II. c. 9. p. 538.

§. 16. Si quis vero Atheorum cum paganis obtrecentoribus  
id

\* (19) \*

id sanctis Apostolis temere imputare velit, quasi artibus magis suam doctrinam propagassent, is quæso vel ulla probabili ratione nobis ostendat, quo fine, vel qua intentione Apostoli id tentare voluissent? nimia forsitan ducti ambitione, vel avaritia, vel voluptatum desiderio? Certe alia methodo, quam hac crucis illud tentassent. Ille enim quæsiſſe videri possunt honores, & nominis vanam gloriam? qui crucem Christi prædicabant, stultitiam paganis & scandalum Judæis *i Cor. I, 23.* qui ignominiam Christi pro summa reputabant gloria, atque in illo gaudebant unice, si quando digni fuerint habitu contumelia pro nomine Christi? *Aetor. V, 40. 41.* qui in tanta animi humilitate & simplicitate, cum jam constituti essent Apostoli suo munere fungebantur. ut ad pristinum vitæ genus redire turpe non putarent, & sub ipsa Evangelii annunciatione, suis manibus sibi viſtum pararent? *Aetor. XX, 34. i Cor. IV, 12.* Vel illi inquam ex avaritia hoc fecisse credi possunt: qui in nuditate & summa paupertate, sine ullo lucro aut spe lucri, verbum Dei gratis gentibus annunciant? *2 Corinth. XI, 27. seqq.* vel tandem ii voluptatum desiderio hoc fecerint? qui propter ipsam Religionis Christianæ propagationem, infinitis periculis, molestiis, afflictionibus, flagellis, lapidationibus, persecutionibus, ad mortem usque sunt exagitati: & tanquam πειναθέματα & πεζίψυχα in mundo sunt habitu *i Cor. 4. v. 13.* & qui denique omnes fere, excepto Johanne, violenta & crudelissima morte trucidati sunt? Judicet, qui velit, an his cum ulla veritatis specie crimen magis tribui possit, vel fraudum suspicio, qui de his omnibus nullum lucrum, sed certissima pericula, ut ipsis a Jesu prædictum erant *Math. X.* expectare poterant. Bene enim Seckendorffius in Christen-Staat libr. I.e. VII, p. 83. ad Atheorum conscientiam ita provocat: Mit was Schein kan doch ein Atheist sich bereden / dass diese Leute solche Phantasten / Narren oder thörichte und verzweifelte Bösenwichter gewesen wären / welche ohne alle Noth und Nutzen sich etwas im Sinn gennommen / und mit ihren großen Schaden / Elend / und Tod / andern Leuten /

und zwar den allergelehrtesten und klugsten unter denen Jüden und Heyden hätten verschworen wollen/ wenn sie dessen keine Gewissheit gehabt hätten/ was Sie von der Person/ Lehre/ und Wunder Christi selbst gehörte/ gesehen/ und hernach verkündiget. Welcher Lügner wird den hundertesten Theil des Elendes/ welches die Christlichen Lehrer über die Wahrheit ausgestanden/ über der Vertheidigung einer Lügen auf sich nehmen/ davon er keinen Nutzen hat? Nonne igitur hic cum *Lactantio recte dici potest; à quibus absuit studium lucri, (addo & honoris & voluptatum,) ab iis etiam absuit voluntas & causa fallendi. de Relig. falsac. IV. p. 13.*

§. 17. Conferat quis, si placet, paganismi propugnatores, & Mahumedianismi, & quantum distent ab his sanctis ministris propagationis Christianæ Religionis, ipse viderit. Illi enim fuerunt vel *Poete* fabulatores nugacissimi, qui ut aures plebis curiosas tantum demulcerent, & lusum haberent, in quo suum ingenium exercent, tanta nærias commenti sunt, quas ipsi saniores gentiles merito exsibilarunt. Quare & Plato eos a Republica removisse dicitur. Vel fuerunt *Aruspices & Pontifices* astutissimi, qui miris fraudibus ac technis miseræ plebi proterve illudebant, & variis suis fictisque auguriis, & oraculis, eos terrebant, qui que cūm dignitate etiam conjunctam habebant summam rerum potentiam, quibus nolentes facili opera coercere & subjugare poterant. Vel erant *Philosophi*, homines, ut *Tertullianus* eos vocat, *glorie & eloquentia* solius libidinosi, qui etiamsi satis paganismi absurditatem agnoscerent, veritatem tamen in justitia detinebant, ne vel *Socratis* fata subire cogerentur, vel suam existimationem, avarumque popularem perderent. Vel tandem fuerunt *Tyranni* crudelissimi, & ad fraudes, rapinas, cædesque quasi natī, ut ex historiis profanis satis superque patebit. Conferantur & propagationis media ab utraque parte, tum paganismi, tum Muhamedismi & Christianæ Religionis. Illa fuerunt *Arma*, quibus adjacentes regiones subjugatae, etiam ad superstitionem paganismi cogebantur, ut & factum est in Oriente cum Religione Mahemedis: vel fuerunt consilia *Pseudo-Politica*, quibus

bus cavebant, ne diversa in Regnis Religio aliquid imperio periculi vel detrimenti afferret, sed ut sub praetextu Religionis, superstitionis vulgus eo magis arceatur: *vel fuerunt carnis illecebra, & mundana commoda, cum omni libidinum effrana licentia, quibus inter barbaras nationes Muhammedismus se longe lateque diffudit.* De quo in specie *Carl. Wolzeley* recte afferit, *quod ipsius propagatio sit facta tribus modis:* (1.) *Vi & gladio,* ut etiam impostor Mahumedes dicere & aperte profiteri non erubuit, se a Deo esse missum, ut gladio & armis suam religionem inter populos propagaret. (2.) *Quod omnis inquisitio Religionis & doctrinae Mahomedis ab ipso plane sit verita,* de quo non immerito *Ludov. Vives* dixit; *tutum est mentiendi genus, nolle rationem eorum, que dicat reddere.* (3.) *Quod omnes libidines & voluptates impune concedat, imo suo exemplo commendet.* Quæ quidem media, si cum Christianismo conferantur, nihil praeter carnem sapiunt, nihilque magis abhorrent quam Mysterium crucis, istamque divinam propagationis indolem, qua Religion Christiana propagata est. Illa enim nullis armis, nec vi ulla externa, est fundata vel propagata, imo nulla auctoritate & mandato Principis seu Magistratus firmata & defensa. Voluit enim Deus præcavere hominum suspicionem, ne forte Religionem Christianam putarent esse *ép努ua* quoddam politicum, ut bene observat *illustria Pufendorfius in Historia Univers. part. I. p. 738. §. 8.* Solo verbo crucis & miraculis divinis facta est divina propagatio Religionis Christianæ: Apostoli enim nulla vi, nisi divina efficacia convincendi animos armati, miraculis tanquam sigillis Doctrinam suam obsignarunt, & his ipsis mediis divinis, tot milia paganorum, à tenebris ad Lucem, a potestate Satanæ ad Christum converterunt. *Acto. XXVI. v. 18.* ut paucis annis post, in omnem mundum sonus verbi crucis exierit, & Idola paganorum, crassasque ipsorum superstitiones superarit gloriofissime. *confer M. Pascal pensees cap. XV. v. 7. p. 81. 82.*

§. 19. Neque Apostolorum tantum ætate hæc divina religio Christianæ propagatio ita facta est, sed etiam per *Vi-*

*ros*

ros Apostolicos, tribus saeculis sequentibus. Qui nulla principum auctoritate adjuti, sed potius tot persecutionibus & tyranide ab ipsis exagitati sunt, & tamen per omnes fere mundi partes, hanc Christianam Religionem longe lateque sub perpetua cruce propagarunt. Ita, ut jam suæ aëvo Tertullianus in suo apologetico paganis obficere posuit: Hesterni sumus, & vefra omnia inplevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, casfria ipsa, tribus, decurias, palatum, senatum, forum, sola vobis relinquimus templa. Ex quibus omnibus, non potest non divina propagationis indoles illucescere, ut qua his ministris & mediis mundo abiectissimis, cepta & continuata est feliciter. Optime hac de re loquitur Hugo Grotius in Tract. de veritate Religionis Christi. libr. II. §. 18. ubi inquit: Videmus ita plerosq; homines comparatos esse, ut regum & potentium exempla facile sequantur: eosq; magis, si lex eiam & coactio adsit. Hinc pagani arum religionum, hinc Mahumerice incrementa. At qui Christianam Religionem primi docuerunt, non modo sine omni imperio fuerunt, sed & fortuna humili, pescatores, textores, & squid bia simile. Et horum tamen opera, dogma illud inter annos triginta, aut circiter, non tantum per omnes Romanis Imperii partes, sed ad Partbos quoq; & Indos pervenit. Nec tantum ipso initio, sed per tria ferme secula, privatorum opera, sine minu ulli, sine ulli invitamentis, ino reniente quam maxime eorum vi, qui Imperia obtinebant, promota est haec Religio, ita, ut antequam Constantinus Christianismum profiteretur, haec pars Romani orbis prope major esset. Apud Graecos, qui morum precepta tradiderunt, aliis simul artibus reddebant se commendabiles, ut Geometrie studio Platonici, Peripateticani animantium ac plantarum historia, Stoici dialektica subtilitate, numerorum & concentuum cognitione Pythagorici, multis adfuit admirabilis quedam secundia, ut Platoni, Xenophonti, Theophrasto. At primo Christiani doctoribus, ars talis nulla, sermo simplicissimus, & sine illecebris, sola precepta, promissa, minas, nuda oratione proferens: que cum per se non habeant efficaciam parem tamis progressibus, omnino necesse est, statuamus, aut miracula adfuisse, aut arcana Dei actionem adpirantem negotio, aut mirumque. Haec tenus Grotius.

§. 19. Quamvis vero Pauli ad pedes Gamalielis edoceti,  
& Pa-

& Patrum ecclesiasticorum exempla, qui etiam philosophiam  
calluerunt, huic assertioni obstat videantur, tamen re ipsa,  
si rem penitus consideremus, amice conspirant. Paulus e-  
nim ante suam conversionem, in humana sapientia eruditus  
quidem fuit, sed ea in propagatione Religionis Christianæ  
usus non est, adeo, ut a Philosophis Atheniensibus audiret  
*σπερμόλογος* & Festo putaretur insanire ob nimium γραμμάτων  
studium *Aetor.* 26. v. 24. Quin & ipse aperte ad Corinthis fa-  
tetur, se non venisse ad eos καθ' ὑπεροχὴν λόγῳ ή σοφίᾳ, ne-  
que sermonem suum ad eos fecisse, εὐ πειθόῃς αὐθεωπίνης σο-  
φίᾳ λέγοις, sed εὐ αποδέξαι πνεύματος καὶ δυναμώς, seque ni-  
hil judicasse scire, prater Christum, καὶ τὸν ἐσταυρωμένον. (*1. Cor.*  
*II, 12. 4*) ne forsitan ipsorum fides in humana sapientia nitere-  
tur, sed in potentia divina. Patres vero ecclesiasticos quod  
attinet, ut vel partim ipsi ex Philosophis Christiani, & Chri-  
stianorum doctores facti sunt, vel cum Philosophis obrecta-  
toribus pugnabant, sic primum ipsi confessi sunt se in Reli-  
gione Christiana tantum invenisse veram & divinam Philo-  
sophiam, ut *Justinus* habet in *Dialogo cum Triphone*, nec philosophia  
humana directe ad Religionis Christianæ propagationem usi-  
sunt, sed ut spolis Ægypti, & tantum κατ' αὐθεωποι, idque  
primis seculis factum est parcius, & non nisi cogentibus ad-  
versarii. Deinde vero, si qui humana sapientia abusi sunt,  
certe iis temporibus factum est, qua ecclesia jam tum a pri-  
ma Apostolorum simplicitate nimium deflexerat, & ecclesiæ  
doctores hanc propagandi viam sub cruce, ut plurimum de-  
seruerant, brachio seculari, ut vocant, seu potentia Magi-  
stratus politicæ, magis confidentes, quam potentia & gratia  
divinæ. Quod ut a primis Apostolorum vestigiis longissime  
recedit, sic neque probare, neque excusare possumus.

S. 20. Manet tamen laus propagationis divinæ sub cru-  
ce, qua se Religio Christiana in universum terrarum orbem  
diffudit, salva & integra, tum quæ per Apostolos facta est,  
dum per viros Apostolicos, & doctores Christianos in sequen-  
tibus

tibus sacerdotiis. Nec ea sub Papatu plane desit, quamquam, quod negari non potest, valde sit impedita. A puriori enim sua indole, & a prima propagatione Apostolica, nimirum quantum recessit, & tot modis degeneravit, vix paucis servatis, qui suas vestes his sordibus antichristianis non maculaverunt. Habent quidem & jam Romæ congregationem, ut vocant, de propaganda fide; quæ ipsa congregatio nuper exequias magnifice celebravit noto zelotæ Card. de Collonitsch. & quotannis fere Missionarii in disstas mittuntur regiones, vix tamen eam tam propagationem Christianæ Religionis, quam Papatus & Monarchia Papalis dicere poteris, ut quæ non fiat ad amplificandam Christi gloriam, sed Pontificis potius antichristianam dominationem; quæque, ut ex scriptis multis de Hispanorum propagatione in America judicari potest, non verbis & miraculis Petri, sed gladio Petri, & multo innocentis sanguine facta. quam quidem non Christianam, sed diabolicam illam propagationem, prout descripta scilicet habetur, omnis vere Christianus, vere catholicus, non potest non abominari, & toto animo constanter detestari. Christus enim suam doctrinam sola doctrinæ efficacia, miraculis divinis, divina semper indole propagavit, & propagari voluit. *Apologia A. C.* p. 186. 187. 499. 95. Etsi autem aliquoties in ipso concilio Tridentio abusive agitur de incremento & exaltatione fidei & religionis Christianæ, imo anathema esse jubetur, si quis dixerit, non esse Christianum, qui fidem sine caritate habet: rectius tamen in ipsis decretalibus se habet Clementina illa sententia, Christi fidem haberi non credi, qui ad Christianorum baptismum invitus cognoscitur pervenire. Et quis ignorat, favorem religionis & piarum causarum sape impium esse inter tot seetas?

### CAP. III. DE INDOLE DOCTRINÆ PROPAGATÆ.

§. 21.

**S**ed ne diffusiores simus in hoc argumento, quam insituti

tuti nostri ratio permittit, progredimur etiam ad indolem E-vangelii propagandi, ut ex hac etiam, divina Religionis Christianæ propagatio, eo clarus patescat, Indoles enim ipsius Doctrinæ propagatae, cum propagationis Auctore, Ministris & mediis, accurate conveniat necesse est, si Christianæ Religionis veritas & divina propagatio constare satis debeat. Ut igitur Auctore Iesu Christo sub cruce propagari cœpta, & per Apostolos ministros verbi, sub cruce continua-ta est Religio Christiana: sic & ipsa doctrina christiana crucis indolem respuere non potest, sed illam, ut characterem proprium, semper habere debet. Nisi enim hoc esset, videri posse, se ut artes & doctrinæ cæteræ humanæ, sua novitate, jucunditate, subtilitate, aut utilitate, hominum animis commendasse, eamque admirandam atque amplam propagatio-nem humano more sibi conciliasse, quod nunc quidem per hanc crucis indolem esse factam, vel fieri potuisse, nemo sa-na mentis facile judicabit. Sed ita fieri debuit, & aliter fieri non potuit propagatio Religionis Christianæ, nisi sub hac indole crucis. Una eademque enim est doctrinæ Christianæ indoles, qua se profert in singulorum animis fidelium, & apud quemvis in individuo fundatur & propagatur, quod non ali-ter sit nisi sub variis tentationibus: & qua se in totum terrarum orbem, boni fermenti instar, diffundit, atque expandit; quod itidem non nisi sub cruce perpetua fieri potuit, & ad divinam crucis indolem. Sub interna cruce verbum Dei in cuiusvis animo seminatur, crescit, atque altas radices agit, externisque afflictionibus & temptationibus in dies magis fir-matur atque corroboratur. Vexatio enim dat intellectum, & sub ipsa crucis experientia mysteria Regni Christi animæ panduntur, quæ antea videbantur occlusa & inaccessa: Sic & homogenea esse debuit externa doctrinæ Christianæ propaga-tio, quæ nec ulla alia nisi crucis indole se tam late propaga-vit aut propagare potuit. De utroque incremento, tum illo distributive, tum hoc nostro collective accepto, egit ubertim Dn.

D

D. Breit-

*D. Breithauptus in Dissertat. de Mysterio Crucis, & in Oratione de Reformationis Evangelice natura & indole.*

§. 22. Doctrina igitur Christiana, non curiosas & vanas hominum pascit mentes, varia scientiae & sapientiae humanæ pabulo, sed Jesum Christum docet crucifixum, Judæis scandalum, & paganis stultitiam, in eusebus cruce omnem salutis nostræ spem collocat unice. Quod, quam absurdum, quamque indignum corruptæ rationi videatur, ex Celsi, Porphyrii & Juliani virulentis calumniis satis videri, & ex nostrum exploratione etiam cognosci poterit. Hunc enim filium Dei, atque verum Deum credere, qui per totam vitam miserrime vixit, tandemque ignominiosa crucis morte periit, hunc adorare, & rejecta justitia carnis, & Religione a patribus accepta, publicisque legibus stabilita, vera fide & fiducia, tanquam veram justitiam & sacram anchoram unice amplecti, quid magis Ratio sibi relicta abhorrere, aut stultum & insanum magis putare potest. *Hoc certe, ut Lutherus loquitur in Commentario ad Galatas cap. i. non est predicare in gratiam hominum & mundi: Mandus enim non potest gravius aut acerbius irritari, quam cum damnatur sapientia, iustitia, Religio & potentia ejus.* Nec ulla ratione *Indifferentium* foveri, ex visceribus Christianismi ostendit D. Antonius, ex instituto & gens de conversione Samaritanorum ad Christianissimum, speciatim §. 7-12. 13. 44. 54. seq. Arcet etiam hæc consideratio omne studium propagandi sectam; eo scilicet sensu, quo vox sectæ hodie vulgo accipitur. Hinc & in euodem finem ὑποτύπωσιν Evangelico-Apostolicam commendavit olim Praeses meus in scripto adversus librum, *Unfug dictum, in κριτηρίῳ veri studii religionis*, p. 6. 34. 141. item ad sectam declinandam. p. 21. sq. 41. 42. 54. 72. 79. 91. 99. 106. 132. sq.

Ut ergo ad ipsius Christi caussam redeamus, quomodo hunc Jesum crucifixum & doctrinam crucis homines expolisi Diis patris & derelicta antiqua sua superstitione, recipere potuerint, sine divina efficacia & maxima crucis Victoria, ipsi judicent, qui Religionis Christianæ propagacionem nem

\* (27) \*

nem negant esse divinam. Certe enim nec ulla eloquentia, aut fallendi astutia hoc, si humanis fraudibus res acta fuisset, vel uni simplicissimo hominum, non dicam toti mundo, persuaderi potuisset. Est enim manetque Christus crucifixus corrupta rationi σημείον ἀντιλεγόμενον *Luc. II. 34.* & Christianismus λόβος προσκόμματος, καὶ πέτρα σπανδάλων, ut loquitur Macarius Hom. XXIV. §. 6. in fin. usque dum in luce Dei sanctuarium illud Domini submissae ingrediatur, illamque admirabilem crucis sapientiam εν μυστήριῳ sub fide discat atque agnoscat.

S. 23. Neque vero solum Religio Christiana Christum crucifixum omnibus annunciat, sed ipsius crucem portandam omnibus etiam inculcat ipsius discipulis. Hac enim inter primas \* lectiones fuit, quas salvator noster dedit suis, utsibi ipsis mundoque & mundi vanitatis sincere renuncient, atque crucem quisque lubens in se suscipiat. *Luc. XIV. & Matth. XVI.* Hac etiam Apostolorum fuit constans inter omnes gentes doctrina, Christianum oportere per multas tribulaciones ingredi regnum celorum *Apolo. XIV. 22.* Christianos ad crucem vocatos esse *1 Petr. II. v. 21.* & omnes etiam θέλοντες εὐσεβῶς ζῆν persecutionem debere pati *2 Timoth. III. 12.* neque aliter nisi per συμπάχειν fieri posse συγκλητούμενος Christi *Rom. VIII. v. 17.* Qua quidem doctrina crucis, neque Christus neque Apostoli, Christiani candidatos, ut primum videtur, deterrire voluerunt, nec eam, ut nodum & cuneum legalem iis proposuerunt, sed tanquam conditionem evangelicam & testamentariam, qua illi agnita, de sumtibus expendendis in tempore cogitarent, & ita bene præparati rem ipsam aggredentur (*Luc. XIV. 28.*) eo firmiori animi proposito. Neque etiam hac crucis doctrina urget temulentam & insanam suī destructionem, seu furiosam desperationem, [ut multorum fuit paganorum, & ut dicunt, hodiernorum Japonensium in sua Religione, inter quos Diabolus, simia Dei, hanc sanctam crucis indolem fædissimis & crudelissimis modis æmulari

\* (28) \*

videtur] sed urget sobriam & spontaneam sui ipsius abnegationem, non ex proprio ausu & conatu, sed ex voluntate Dei ipsiusque sanctissimo nutu, in omnibus nostris circumstantiis diligenter exercendam. Ipsi Apostoli non dissimulant sensiones & tentationes suas e. g. 2 Cor. 7, 5. 6. 13. Vide supra §. 75. de prajudicio Stoicum seu Christianum Stoici. Tota tamen haec crucis doctrina, licet sit evangelica, & vere Christiano dulcisima, corrupto tamen carnis sensui stultissima videtur, & acerbissima, stultusque crucem horret, quam infantes insipidi, rejecta medicina saluberrima, horrent molestiam medicinalem. Durum & intolerabile, imo absurdum & noxiun putat ratio fibi relieta, quicquid de cruce & hac doctrina crucis unquam audit. Putabimusne igitur hanc Christiana Religionis doctrinam, qua tam dura & ingrata carni proponit, nullaque mundana commoda, sed cruem, pericula, & infinitas afflictiones, imo ipsam mortem suis sectatoribus in his terris promittit, tantum in se habere suavitatis & dulcedinis, ut tot millia hominum, qui omnes a natura nihil magis nisi haec fugiunt, suis fraudibus alliceret, & in suas partes ullo modo trahere potuerit? Omnes sane artes magicæ, si in totum munulum fascinandum conspirassent, id præstare non potuissent, quod victoria verbi crucis in animis divina sua ἐνεργείᾳ maximo sane miraculo nobis præsttit. Haec enim sola effecit, ut gentes ad luxum, voluptates, & fortunas seculi adfuetæ, rapinam suorum bonorum, nuditatem, paupertatem, contumelias, & durissimas afflictiones non solum patienter tulerint, sed etiam de iis, tanquam magno crucis triumpho, ad stuporem usque infidelium gloriatae fuerint. Seckendorffii Christen-Staat, lib. I. c. VII. p. 82. 83. & L. 1. bis. Lutb. f. 6. (m). L. 3. f. 235. (n)

\* An. 1706. auctore D. P. Malmberg prodiit Rosa inter spinas, i.e. Veritas Christianismi. Laudatur jure liber Jo. Camuti Lenzi de veritate Religionis Christianæ §. 17. Sed inter alia reprehenditur quorundam via ad Christianismum singularis per abnegationem sui, contemptum mundi, ignominie & vita.

§. 20.

§. 20. 19. Quos velit auctor, conjicere non licet. Vera autem sententia ipsa affirmitur a Praeside duabus epistolis, quas subiunxit dissertationi de odio penitentiali & de genuino principio actionum Christianarum.

§. 24. Ceterum ea etiam est doctrinæ Christianæ indoles, ut nullam peccandi libertatem, vel carnis licentiam suis concedat, sed veram pietatem morumque sanctitatem, cum strictissima abstinentia, plus quam philosophica, exigat; quæ omnia hominibus plerumque solent esse ingratissima. Hic enim præcipuus Doctrinæ Christianæ scopus est, ut perditam vitam divinam, per Jesum Christum sub crucis mysterio in hominibus restauraret, vitamque animalem seu carnalem subigat, & divina virtute supereret. Inde non magnanimitatem Aristotelicam aut cupiditatem gloriae & famæ immortalis, quæ sunt vita animalis, sed veram fidem, caritatem, humilitatem & puritatem, divinæ vitæ Radicem atque ramulos, toties rotiesque docet & tam serio inculcat 1 Thess. 2, 3. 6. 2. Tim. 3, §. 6. 10. 11. confer de his Henricum Morum in Mysterio pietatis lib. II. c. IX. X. XI. XII. p. 88. seqq. Et Arndtium nostrum L. i. de V. C. c. 38. §. 2. §. 9. c. 39. toto. (una cum repetitione apologetica A. 1620.) c. 4. §. 5. 6. c. 3. §. 9. c. 14. §. 2. c. 26. §. 10. c. 20. §. 6. Hæc igitur ad palatum esse potuerunt tot gentium? Quæ laxis undique sub paganismō habenis, in turpisimas ruebant voluptates, & sub ipsis suis sacris nefandissimas impuritates & libidines perpetrabant, quæ & castis auribus recensere grave forer? num hæc, inquam, ulla πιθανολογία humana se hominum animis commendare poterant, & sui propagationem humanis viribus promovere? Nonne potius ipse doctrinæ rigor fecit, ut pagani illam abhorrent, tanquam noxiā reipublicæ, & omnium malorum & calamitatum causam, ut inde etiā a nonnullis calumna passa est. vide Kortboli obirectatorem paganum lib. I. c. 8. p. 112. seqq. & lib. III. c. 15. p. 664. seqq. Et tamen contra tot inveterata gentium vitia, & pesimis consuetudines, quæ in alteram fere naturam abierant, Religio Christiana militans sua doctrina saluberrima paucis post annis egregie triumphavit,

\* (3c) \*

vit, & sese divina potentia tam latisime propagavit.

§. 25. Et tamen in sua indole permanit perpetuo *Διδασκαλία εἰρηνική*, ut vocatur ab Origene, nullaque externa coactione, quam plane respuit, vel violenta ratione se gentibus obtrusit, aut paganismum superavit. Recte enim ait Laetantius de iustitia libr. V. c. XIX. §. 12. Non est opus vi & injuria, quia Religio cogi non potest; verbis potius, quam verberibus, res agenda est. Supra etiam §. 16. fufius ostendimus, quibus mediis Religio Christiana propagata sit, & quod sine omni externa vi, aut auctoritate publica, aut armis se diffuderit. Non vero hanc pacis indolem constanter servavit Religio & doctrina christiana in sui tantum propagatione, sed & in sui defensione. Postquam enim majora incrementa ceperat Christianismus, & Paganismus e contrario ex orbe paulatim luce evangelii expelleretur, ita, ut contra paganorum crudelissimas persecutions facile armata manu se christiani defendere potuissent, id tamen noluerunt, & magis occidi voluerunt, quam occidere. Ad hanc enim pacis indolem doctrinæ christianæ, confidenter provocat *Terrullianus in Apologeticō*, ubi, cum dixerat, Christianos paganorum urbes, insulas, castella, municipia & fere omnia implesse, pergit: *Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur. Si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere.* Quæ quidem indoles pacifica propagationis Relig. Christianæ, si in sequentibus seculis post Constantinum Magnum quandoque neglecta est, ut vel armis facta vel defensa videntur: illud sane non factum est ad exemplum primum primæ propagationis Apostolicæ, sed ex principiis *Pseudo-Clericis & Politicis*, a nobis non excusandis. conf. §. 19. 20. & Spen. consil. Lat. P. 1. p. 23. 276. a. 376. b. 253. a. 263. 357. Quid enim Religioni cum armis? ut cum Comenio loquamur. Habet sane illa quoque sua arma, quibus se adversus hostes suos defendit, sed spiritualia, sicut & ipsa est spiritualis tota, & Deus, cum quo hic res est, spiritus purissimus. Defendenda agitur est imo & propaganda ut rectissime dicit Laetantius supra citato loco, *Religio,*

*Religio, non occidendo, sed monendo, non sevita, sed patientia; non scelere, sed fide: illa enim malorum sunt, hec bonorum: & necesse est, bonum in Religione versari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo Religionem defendere velis; jam non defendetur illa, sed pollueretur atque violabitur, nibil est enim tam voluntarium, quam Religio: in qua si animus sacrificantis adversus est; jam sublata, jam nulla est. Nec defuerunt etiam per omnia saecula fideles testes veritatis & crucis Christi, qui crucis indolem pure agnoverunt, ab eaque declinatam propagationem Religionis christianæ, tanquam ad primam normam Apostolicam, subinde revocarunt, ut fuisse patet ex Historia Ecclesiastica & ex Flacii libro de Testibus veritatis. Quomodo igitur in tanta pacis indole doctrina christiana, sub mediis populis barbaris duri cordis & cervicis, tam admirabili propagatione expandi potuisset, solo verbo crucis & miraculis, nisi divina verbo & doctrinæ adfuisisset potentia, & animos hominum convincendi penetrans efficacia?*

§. 26. Paucis, quæso, conferamus cum hac indole doctrinæ christiana Paganismi & Muhamedismi indolem, ut ita opposita, quod dicitur, juxta se posita, eo magis illucescant. Utriusque sane indoles, crucem horret, eamque fugit quam longissime. Paganismus enim in sua doctrina tot in numeris Diis Deabusque atque Heroibus superbit, ut Maximus Tyrius Dissertatione I. Cœlum Deorum non aliter tanquam splendidam principis aulam nobis describat, ubi unus quidem fit summus rerum arbiter, sed multos a latere habens ministros & Regni consortes, quos non tantum triginta millia esse dicit, sed innumeros, dicit enim quod sit Θεὸς εἰς πάντων βασιλεὺς καὶ πατήρ ἡ Θεὸς πολλῷ θεῶν πάλιδες συνέρχοντες θεῶν. & hanc dicit sententiam esse & grecorum & barbarorum, in hoc consentire sapientes atque stultos. Editio Oxoniensis p. 5. & p. 18. 19. Quæ omnia crasse vitam mere animalem sapiunt, & ad pompa Religionis excogitata sunt. Taceo, quam indigna & horrenda flagitia de diis deabusque suis confessi sint, tot stupra, adulteria, furtæ, libidines, incestus, parricidia, quos tales, si

inter-

in terris essent, Respublica nulla tolerare posset. Et quæ ipsorum nefanda sacra, cruenta, impurissima & turpisima fuerint, patebit ex *Lattantii* libr. I. de falsa Religionis & apud *Henr. Morum* libr. III. de Mysterio pietat. cap. XI. p. 108. seqq. Et quamvis paganismi doctrina etiam virtutes inculcare videatur, activas tamen tantum urget, passivas nescit; crucem enim non agnoscit, & hinc virtutum potius simulacra sunt, quam ipsæ virtutes. Humilitatem vitium pertant Pagani, & abjectum animo dicunt vel desperatum, ut & obrectatores vocarunt primos Christianos, qui veram sui ipsius & mundi abnegationem exercet sedulo. Puritatem nesciunt, nisi quæ corporis & animi mere naturalis, vel Philosophica est, mentis puritatem in spiritu, quæ sola Evangelio Christi fieri potest, ignorantes, unde nervose *Minutius Felix*, discrepantium Paganismi & Christianismi in his ita denotat: *vos sceleris admissi*, *punitis; apud nos & cogitare, peccare est.* p. 132. Amorem inter se habent, sed carnis, non spiritus, quem rectius modestiam & humanitatem, quam charitatem vocare possumus. Ceterum quam multa vitia Paganismi doctrina laxior permiserit, & quasi exemplis suorum Deorum probaverit, non opus est pluribus explicare. Quam vero longissime etiam a pacie indole Religionis Christianæ discesserit doctrina ipsorum, tot crudelissima bella produnt in externis regionibus, quibus non solum suum imperium, sed etiam paganismi superstitionem late propagarunt. Et sic se etiam habet cum *Mahomedumo*, qui ut ex fraudibus totus compositus est, sic nil nisi delicias carnis, libidines & turpisimas impuritates promittit, in hac non solum, sed quod horrendum dictu, etiam in futura vita. His enim illecebris impostor callidus barbaras gentes ad sua castra pextravit facillimo negotio, quibus etiam, ut dux gregis ipse caper, turpisimo suo exemplo præxivit ad orcum. Quam sanguinolenta autem sit Doctrina Mahomedismi indoles, ex hoc cognosci potest, quod non nisi gladio propagari velit. Ipseque impostor Mahomedes non solum, ut suam Religionem injustis armis, quam latissimis

\* (33) \*

latissime possint, propagant concederit, sed in suis legibus  
plane jussert. Ex quibus omnibus luce clarior patet, quam  
nihil divini subsit doctrinæ Paganismi & Muhamedismi, sed  
quam crasse omnia spirent impurum sensum carnis, vitam-  
que mere animalem. E contrario vero & ipsa doctrinæ Chri-  
stianæ indoles, quæ ad divinam tendit vitam, satis docet,  
quam admiranda & divina facta sit propagatio Religionis  
Christianæ sub cruce.

CAP. IV.

DE PROPAGATIONIS IMPEDIMENTIS ET  
OBSTACULIS.

§. 27.

Post indolem doctrinæ Christianæ nunc etiam se conside-  
randa offerunt hujus propagationis impedimenta & ob-  
stacula, quibus hostis humani generis eam retardare cona-  
tus est, sed conato irrito. Quoniam enim a primo statim  
lapsu inimicitia positæ sunt inter Semen mulieris, & serpen-  
tem, serpentisque semen; Gen. III, 15. non potuit non se etiam  
hæc inimicitia serpentis manifestare in propagatione religio-  
nis christianæ, qua suum caput & regnum conteri & de-  
strui facile sentiebat Diabolus, unde semper calcaneum  
Christi & Christianorum fugillavit, non solum, ut serpens a-  
stutus variis dolis, blanditiis, & fraudibus; Sed etiam ut  
Draco magnus & rufus, ut in Apocal. vocatur cap. XII, 3. 9.  
aperta vi & crudelitate, quando, qui antiquitus seducere perfalla-  
ciam consueverat universum orbem, addidit cum fallacia vim, qua Re-  
ges & Principes, ac superbos homines, insigavit ad persequendum &  
occidendum electos propter verbum Dei, ut emphatice loquitur Ru-  
pertus Tuicensis de Victoria verbi libr. I. c. VI. Ita enim debebat ten-  
tari & probari opus Dei sub his insultibus mundi atque Sa-  
tanæ, ut eo glorioſior sit Christi victoria, quo major Draco-  
nis antea fuerat pugna, & ut tandem ipse inter medios im-  
peret hostes. Ps. XC. 2. Alacarius Hom. XV. §. u. & in opusculo de  
patientia c. 28.

E

§ 28.

§. 28. Hæc vero impedimenta, quibuscum diu luctata  
 fuit Christiana Religio in sui propagatione, non unius gene-  
 ris, sed multa & varia fuerunt, omnia autem, & gravissima  
 & pericolosissima; quæ quidem, non nisi leviter, pro nostri  
 instituti ratione, attingere poterimus. Ut enim ò *avtineuevec*  
 regno suo tenebrarum a primis statim mundi incunabulis ve-  
 ræ ecclesiæ sub V. T. semper adversatus est: sic & sub primis  
 initiis etiam Evangelii & propagationis Christianæ Religio-  
 nis, furere incepit, & ipsum Auctorem Jesum Christum ejus-  
 que discipulos quam acerrime oppugnavit, ut patet jam ex  
 superioribus. Nec tamen hoc sine omni occasione & speci-  
 oso titulo, sed sub ipso prætextu veræ Religionis, antiquitatis  
 studio, & Zelo divino, quibus suos crudelissimos ungues te-  
 gere, miserisque hominibus astute imponere poterat. Cum  
 enim Doctrina Christi & Apostolorum novam plane religi-  
 onem constitueret videretur, & antiquas Judæismi & Paganis-  
 mi plane tollere, hoc novitatis odioso nomine ita Judæo-  
 rum & paganorum incitabat animos, eorumque armabat furo-  
 rem, ut pro antiqua & vera sua Religione pugnare, & divino  
 plane ac justissimo Zelo, novam hanc novaturientium su-  
 perstitionem supprimere se putarent. Hinc antiqua & Ju-  
 dæorum & paganorum querela fuit cum Symmacho: *jam si lon-*  
*ga etas auctoritatem Religioni facit, servanda est ior facultu fides & se-*  
*quendi sunt nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos. Epistol. lib. X.*  
*epi. 1. cf. Pf. 49, 20.* Tantam enim vetustatis auctoritatem esse vo-  
 lebant, ut inquirere in eam scelus esse putarent. Non autem,  
 quæ nova videbatur Religio Christiana, talis re ipsa erat, sed  
 potius antiquissima, ut quæ primum in Paradiso, ipso protev-  
 angelio erat fundata, & sub tota religione Jadaica tot figu-  
 ris & typis adumbrata, atque Prophetarum vaticiniis prædi-  
 cta erat, ut non minus vere, quam confidenter Paulus affir-  
 mare posset, se nihil aliud docere, præter id, quod Mæs &  
 Prophetæ, Judæorum doctores, jam dudum docuissent. *Autor.*  
*XXVI, 22.* *Novum enim testamentum veteris adimplerio est, & in uero-*  
*que idem testator Christus est, qui pro nobis morte suscepit nos: heredes*  
*Regni:*

Regni aeterni fecit. Lactantius libr. IV. de Vera sapientia p. 302. §. 5.  
 Id quod etiam eleganter expressit Prudencius in Hymn. X. de  
 Passione S. Romani p. 621. Edit. B. Cellarii p. 211. seqq. Sed ita sunt  
 hominum mores, ut in divinis, non fundamentis & rerum ve-  
 ritati tranquille & sollicite attendant, sed temerario, tumultua-  
 rio, & præcipiti judicio divinam veritatem, ut rem novam &  
 inauditam plane rejiciant, perverso Zelo & antiquitatis amo-  
 re nimium occæcati, cum tamen ipsa veritas semper sit anti-  
 quisima.

§. 29. Primi qui propagationi Religionis Christianæ ob-  
 dicem posnre voluerunt, fuerunt Judæi, ut qui contra do-  
 ctrinam Christi haud raro ad auctoritatem Abrahæmi patris  
 sui provocare solebant. Job. VIII, 33. Σπέρμα Αβραάμ εστει  
 & vers. 53. ejusd. cap. μή σὺ μελέον εἰ τῷ πατρὸς ἡμῶν Αβραάμ;  
 ejusque doctrinam Motis & Prophetarum auctoritate preme-  
 bant. Joh. IX, 28, 29. Quamvis enim haberent in libris Mosis  
 & Prophetarum amplissimas de suo Messia venturo promissio-  
 nes, quas & quotidie in suis Synagogis legebant, sed non in-  
 telligebant: attamen ex fastu Judaico, & odio crucis, Jes-  
 sum Nazarenum contra tot divina signa & miracula (ex quib-  
 us etiam, teste Nicodemo, in sua conscientia convicti e-  
 rant Joh. III, 2. quod a Deo missus esset) rejiciebant, eumque  
 ut verum Messiam recipere noblebant. Pharisei enim Hypo-  
 critæ, & Sadducæi profani Empæctæ cum Herodianis, con-  
 junctis viribus se Christi & Apostolorum Doctrinæ oppone-  
 bant, magno sibi opprobrio fore putantes, si a Iesu Nazarenō  
 & suis discipulis Laicis doceri, ipsorumque Religionem, quæ  
 in meram superstitionem fere degeneraverat, ab ipsis refor-  
 mari permitterent. Talem certe non expectabant Messiam, sed  
 qui eos Terræ dominos constitueret, jugumque Romanæ ser-  
 virutis frangeret, & ipsos suis legibus tranquille & secure vi-  
 vere fineret. Quod cum Jesus Nazarenus, pauper, & omni  
 auctoritate humana & viribus humanis destitutus, nec præ-  
 stare vellet, nec, ut putabant, posset, illum repudiabant, i-  
 psumque ut nimis asperum ipsorum vitiis, & nova molien-

tem, acerbissimo odio persequebantur, & tandem Iudibrio habitum, & omnibus contumelias affectum, per manus Romanorum cruci affigebant: haud obscurò signo, & Judæos & paganos, qui se in passione Christi conjungebant, etiam communi odio in Christum & Christianam Religionem inter se conspirasse. *Autor. IV.*, 24. 27. Christo igitur e medio sublato, sublatam quidem simul cum ipso suam doctrinam primum putabant; sed cum diebus pentecostes vulnera quasi recrudesceret, & malum per Apostolos ulterius serperet, ira ipsorum transit in furorem. Tum enim actum esse de antiqua fide Judaica, de sua auctoritate inter Judæos, & de tranquillitate publica putabant, nisi in tempore providerent, & propagationem Religionis Christianæ in prima herba suffocarent. Apostolos ergo, ut turbatores tranquillitatis publicæ, ut schismatics & heretics, in vincula publica coniiciebant, non una vice. ipsis primum diris minis interdictentes, ne de Jesu Christo amplius quicquam docerent, *Aet. IV.*, 17. & cum ipsorum opinione Apostoli contumaces essent, sproteroque interdicto in docendo tamen pergerent, virgis & flagellis ipsos cædebant, castigaturi ipsorum temeritatem. *Autor. V.*, 17. Cum vero nec hæc sufficerent ad sedandos motus, sanctum Stephanum capitis damnabant, & more Judaico lapidabant *Autor. VII.* nt vel tanto Exemplo severitatis territi Apostoli, a propagatione fidei tandem desisterent. Ipse Paulus, cum adhuc esset Saulus, tum quoque ut Lupus rapax mane dilacerare omnia incipiebat, nescius, quod idem suam prædam vesperi fit inter Christianos distributurus *Gen. XLIX.*, 27. hic ut erat Phariseus, sic pro Religionis Judaicæ puritate divino se agere putabat zelo, minas cædesque erat spirans contra istos Novatores Christianos, quos undique persequebatur, captivos ducebatur, &c. ut Christum abnegarent, cogebat, donec tandem media in via ad Damascum, luce divina illuminatus, & in terram prostratus, vietas Christo daret manus, illustri crucis victoria factus illius Apostolus, & ἐκεῖνος ἐκλογῆς, quem antea tam dire in suis membris persecutus

fecutus fuerat. Quod mirabile conversionis exemplum, vel tandem Judæos monere debuisset, ut, instar Philistiorum, hoc suo Goliatho devicto (*I. Sam. XVII.*) fugerent a facie Jesu Christi, & gloria ejus vicitris, neque tam proterve pergerent contra stiulum calcitrare *Aetor. IX.* 5. & frustra θεομαχεῖν. Sed furor exacerbatus semel, desperata res est, & nullam, quam Deus ex summa sua benignitate & σωγναταβάσει offert, admittit medicinam, neque prius sapere disicit, quam sero nimis sub gravissimis & justissimis Dei iudiciis. *Psalms. II.* 4. 5. *Proverb. I.* 26. seqq. Paulum igitur ipsum, cum, suis infidiis e-reptum, occidere non possent, Jacobum per Herodem interficiebant, qui auræ popularis servus, videns Judæis esse gratum, culpam culpæ addere, Petrumque parimodo opprimere volebat, nisi præventus atque illusus fuisset Dei potentia & providentia. *Actor. XII.*

§. 30. Accessit tamen etiam alia causa, quæ Judæorum furorem non leviter auxit, eosque majori odio stimulavit adversus Doctrinam Christianam. Fuit illa, propagatio Evangelii inter paganos, quos præ fastu Judaico intolerabili canes putabant, & perpetuo exules ab omni communione Dei. Se enim, per monopolium quasi, ut Israelitas & Abrahams semen promissionem & hæreditatem vitæ externæ certo habere gloriantur, exclusis ceteris gentibus omnibus. conf. בָּרוּ אֲבֹתֶךָ statim sub initio, ubi dicunt non sine fastu: שְׁרָאֵל וְחַדְּךָ לְהַקְרִיב לְעַמְּךָ His igitur Paganis, rejectum ab ipsis Evangelium annunciarci, præ invidia & odio fremebant, præcipue, cum etiam illud feliciori successu sub iis, quam sub Judæis, propagari viderent. Ita enim solet pallidus livor ipse non ingredi regnum cœlorum, & ingredientes quoque arcre, iisque suam salutem invidere. *Matt. XXIII.* 13. jam olim Christo adhuc vivente ipsi per convitum objiciebant, an vellet abiire ad διασπορὰν τῶν ἔλλήνων, & docere Græcos. *Job. VII.* 35. quod tamen plurimi de Judæis inter græcos habitantes intelligunt. confer. *Usserii Harmoniam* in hunc locum. Cum vero de-

inde Apostoli aperte dicerent, se quidem Judæis primum annunciasse Evangelium, sed cum illi hoc rejecerint, se nunc convertere ad paganos *Aetor. XIII.*, 36. facile conjectura affequat, quantam invidiam quantumque odium hoc illis apud Judæos fecerit. Patet etiam ex Pauli exemplo, quem Judæi Zeletæ in Templo comprehensum, ob nullam aliam causam, nisi ob propagationem inter gentes, tam indignissime traetabant, eumque morte dignum tantis clamoribus judicarunt *Aetor. XXI. 28. collat. Aetor. XXII. 21. 22.* Imo Judæi plerumque, ut ex Actis patet, etiam paganos exacerbarunt contra doctrinam Christianam, eosque ad gravissimas persecutions excitarunt. His ergo difficultatibus sub primis initiis propagatio Religionis Christianæ statim premebat, ex quibus sane non nisi divina potentia eluctari poterat.

§. 31. Neque vero hæc tantum inter Judæos infideles tremoram facere volebant propagationi Christianæ Religionis, sed etiam inter ipsos fratres fideles & Judæos, non leve hoc primo initio erat offendiculum, quod & inter paganos Evangelium de Jesu Christo propagari deberet. Ipse Apostolus Petrus, qui xitate & auctoritate, [non tamen Papali] merito εὐλόγου ecclesiæ ab Apostolo Paulo dicitur, non nisi divina & peculiari revelatione de hac propagatione inter paganos, convinci potuit, adeo, ut post admonitionem Dei terfactam, ne quod ipse purificasset, ille impurum diutius judicaret, ad Cornelium venit, tandemq; audita tota narratione Cornelii, de sua conversione, ex animi plenitudine & leta admiratione confessus sit: ἐπ' ἀληθέας καθαλαμβάνομεν, ὅτι θυ ἔστι πρωτοπολύπτης ὁ Θεός, quasi diceret; nunc tandem ipsa experientia plene agnoscō, quam vere Deus non sit πρωτοπολύπτης, quod quidem sibi ex Lege audiveram *Deuter. X. 17. 2. Par. XXIX. v. 7.* sed non in hac applicatione practica ita vivide, ut nunc agnoveram. Et tamen ex hoc ipso facto Petri non levius σύρραξις etiam inter fratres oriri potuisse, qui id Petro virtus dare volebant, quod ad paganos ingressus sit, & cum,

\* (39) \*

iiis comedenter, nisi ex Perri Apologia & narratione, pacatis animis rem penitus & accuratius agnoverissent, Deumque in sancta *newxua* laudassent, quod & gentibus, (quod ipsis incredibile visum erat antea) quod, inquam, & gentibus penitentiam ad vitam dederit. *Aetor. XI, v. 23-18.* Additur tamen in hoc ipso capite v. 19. quod nonnulli, qui in prima super ecclesiam persecutione post mortem Stephani facta, dissipati fuerint, exierint quidem usque ad Phoeniciam, Cyprum & Antiochiam, ad propagandam Religionem Christianam, sed nemini verbum locuti sint *ει μη μονον ισδαιοις.* Quod satis indicat, quam inveterata apud Judæos fuerit avercio paganorum, quamque altis radicibus se inter Judæos & paganos firmaverit odium nationale; quod nisi funditus ab Apostolis extirpatum sensim esset, plus illud aliis impedimentis propagationem Religionis Christianæ retardare potuisset.

§. 32. Quod Paganos attinet, ii sane non moderiores fuerunt Judæis in suo furore contra Religionem Christianam, sed eos omni crudelitate in his superarunt. Quanquam enim multi ex plebe paganorum, doctrinam evangeliæ a Judæis rejectam, avide & cum magno gaudio acciperent. *Aetor. XIII, 48.* principes tamen eorum, sacerdotes, philosophi, & sapientes plurima ex parte hanc crucis sapientiam non agnoverunt, sed acerbissimo odio religionem Christianam, ejusque propagationem persecuti sunt. Quanquam & inter eos nonnulli cito, & sub ipsis initio Christianismi, a divina verbi efficacia devicti sint, ut pater ex exemplo *Cornelii, Aetor. X. Sergii, Aetor. XIII, & Dionysii senatoris ex Areopago, Aetor. XVII, v. 34.* & aliorum, qui & dignitate, & sapientia inter ipso paganos fuerunt conspicui: unde malitiosa calumniatur Julianus, neminem inter eos, qui ad Christum se converterint, fuisse de viris principibus & sapientibus, sed vel mulierculas credulas, vel abjectissime sortis homines. *Cyrillus libr. VI. contra Julian. p. 206. B.* Plurimi tamen eorum, quod negari non potest, inimici crucis infensissimi fuerunt. Principes enim cavebant,

bant, ne quid detrimenti hæc nova & inaudita doctrina ipsis afferret, imperiumque turbaret; sacerdotes vero, ne suis commodis, honore, dignitate, & divitias ac religionis dominantis commercio privarentur, populusque, misere sub eorum superstitione captivus, jugum tandem excuteret. quibus adjungi possunt omnes illi, qui de cultu Idololatrico quantum faciebant, & hunc doctrinam evangelii nolebant perdi. Inter quos tempore Apostolorum, ut ex Actis Apostolorum patet, fuit Demetrius, Ephesinus aurifaber, qui de quaestu suo timens, Diana auctoritatem servandam sua avaritia praetexebat, totamque urbis multitudinem, contra apostolos ciebat, insanis clamoribus prædicans Diana divæ magnitudinem: μεγάλη ἡ Ἀρτεμις Ἐφεσίων Acto. XIX, 34. Philosophi & sapientes quidem curiositate & novitate ducti, audiebant primum Evangelii doctrinam, sed cum nihil in ea reperirent, quod fastum suum philosophicum alere, & sapientiam suam variis naturæ arcanis augere posset, eam, ut stultitiam rejecerunt, suis dialogismis longissime abhorrentes a tanto crucis Mysterio, quod ipsis per Evangelium annunciatatur. Et sic religionis christianæ propagatio etiam inter paganos jam sat impedita erat.

§. 33. Sed cum nihilominus omnia hæc obstacula divina vis in propagatione religionis christianæ perrumperet, eaq; inter vulgus late serperet, tum ira in furem conversa, crudelissime sevire coepit contra christianam religionem, eamque funditus extirpare summo laboravit studio, sed frustra. Augetur enim Religio Dei, quanto magis premitur, ut rectissime ait Laetanius & ut cum Hieronymo Savonarola loquamur, hæc veritatis natura est, ut, quanto magis impugnatur (si Defensem habeat,) tanto magis clucessat. Veritas, tunc maxime aperitur, cum acerrime impugnatur, quia in confliktu ipsa per se emergit. Unde idem Savonarola folide concludit: Cum ergo Doctrina Christiana, a summis, tam philosophis, quam Tyrannie, validissime oppugnata, semper insuperabilita fuerit, consequens est, ut ab ipso Deo, tanquam omnino vera prodicerit. Alioquin, inter tot confliktus aliquando succumbens, baud tam

tam diu perdurasset invicta. De *Triumpho Crucis* libr. II. c. VIII. in fine. In ipsis actis Apostolicis vestigia reperimus, quod Apostoli inter paganos in vincula publica conjecti & virgis caesi sint. Actor. XVI. quod convitiis affecti sint a philosophis. Actor. XVII. 18. & quod plane lapidati sint. Actor. XIV. 19. & multas persecutions perpesi. Actor. 18. v. 12. c. 19. v. 21. Act. 21. v. 27. seq. XXII. 22. c. 23. v. 2. seq. Actor. 24. v. 5. Actor. 25. 7. sed hæc omnia, decem illis magnis ac crudelissimis persecutionibus, quæ religionis christianæ propagationem summo nisu prohibere voluerunt, quasi præcludere visa sunt. Tantus enim sub iis excrevit furor paganorum, ut legenti historiam ecclesiasticam dubium pene sit, an christiani ab ipsis paganis, vel potius a furoris infernalibus adeo sint excruciatæ. De quibus, qui pleniorum notitiam amat, legat B. Kortholti tractatum de persecutionibus ecclesie primæ sub imperatoribus Erbinis, cuius viri diligentia in hoc, & illo aureo libro de *Obiretatore pagano*, immortalem meretur laudem. Nos brevissime ipsas persecutions tantum recensebimus.

§. 34. Persecutiones communiter decem constituant, quibus Religio Christiana pressa, sed non oppressa est; non tamen accurato numero. Possent enim plures numerari quam decem, quibus ecclesia satis diu vexata, & religionis Christianæ propagatio fuit impedita, ut etiam jam sua xatae moruit. *B. Augustinus*, & supra laudatus *Kortholtus*, sed consuetum retinebimus numerum. Prima igitur fuit sub Nerone, eaque atrocissima, qui quidem, ut primum simulaverat magnam & singularem clementiam, sic quinquennio præterlapsò adeo exuit omnem humanitatem, ut monstrum horrendum magis dici debeat, quam homo. In ipsum enim Praeceptorem *Senecam*, & matrem *Agrippinam*, fratrem *Britannicum*, *Ostaviam*, & *Poppeam* uxores, imo in propria imperii viscera serviri; quid mirum, quod in Christianos quoque? Sublatis enim Domesticis necessariis, habere illum oportebat in tanta sua crudelitate alios omnino, in quos suum furorem effundere posset, quod propter commune paganorum odium, in Christianos

rianos tuto facere licebat. Occasio alias hujus persecutio-  
nis fuisse dicitur, quod cum Nero urbem Romam ipse in-  
cenderit, ut quasi Trojam in flammis suis videret, deinde ad  
amoliendam a se populi invidiam, culpam omnem christia-  
nus imputarit, quamquam alii, ut *Laetanius* & *Nicephorus* ci-  
tante *Korholto*, causam tanta persecutionis propagationi re-  
ligionis christianæ, quæ Romæ nimium exreverat, adscri-  
bant. Quanta vero crudelitate hac persecutio facta sit, ex  
ipsis verbis *Taciti* pagani satis patet, qui *Annal. libr. XV. c. 44.*  
*Ed. Lipsi. p. 404.* dicit, quod perennibus addita sint ludibria, ut fe-  
ravarum tergis contellati, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi,  
aut flammanti; atque uti defecisset dies, in usum nocturni luminis  
uterentur. Et paulo post ipse confitetur, quod propter hanc cru-  
delitatem in christianos, quos ramen fontes & novissima exempla  
meritos dicit, miseratione orta sit, tanquam non utilitate publica, sed  
in sepiam unius absumerentur. In hac Neronis prima persecu-  
tione uterque Apostolorum *Petrus* & *Paulus* suo sanguine do-  
ctrinam Religionis christiane obsignasse creduntur, ut *Ter-  
tullianus* & *Eusebius* testantur. Petrus quidem cruci affixus,  
Paulus vero capite truncatus. Ita quidem hac prima ten-  
tatione & persecutione durissima, propagationem religionis  
Christianæ hostis inhibere voluit, sed non potuit, verum i-  
psò potius Christianorum sanguine latius disseminavit.

§. 35. Secunda persecutio Christianorum facta est sub Domi-  
niano, qui crudelitate Neroni non cessit, imo, ut *Tacitus* vult,  
ipsum superavit, & in tantam dementiam prolapsus est, ut  
Deus vocari & coli voluerit. Sub hoc Johannes Evangelista  
in Pathmum relegatus dicitur, quem & Episcopus *Haimo*  
ad metalla damnatum asserit, cum mirabili Dei potentia &  
providentia illæsus a ferventi oleo, cui injectus, servatus sit:  
*Tertia*, facta est sub *Trajano* qui cum a Senatu diuersus sit *Opti-  
mus Princeps*, ex nimia tamen superstitione in Deos, hanc Chri-  
stianorum persecutionem fecisse videtur. *conf. Historiam Gorha-  
nam part. II. p. 21. n. 2* Quanquam multi id non tam Trajano,  
quam plebis furori tribuant, ut fusius ex antiquitate ostendit

dit *Koribolus* p. 71. seqq. de *Persecutionibus*. Hoc saltem constat, quod epistola Plinii, qua non obscure ipse paganis Christianorum innocentiam aperuit, parumper mitigatus sit, ita ut eos conquirendos yetuerit, puniendos tamen, si deferantur. Quæ quidem iniqua clementia, & remedium Pseudopoliticum fuit. Sub hac persecutione, crudeli supplicio affectus est *S. Ignatius*, Leonibus objectus, qui in epistola ad Romanos, tantum martyrii & mortis ostendit desiderium, ut mirari satis in eo & amorem & victoriæ crucis vix licet. Rogat enim Romanos, ne intempestiva sua benevolentia ipsum ad martyrium properantem impediatur, sed illum cibum esse bestiarum permittrant. hanc causam reddens: οὐτοὶ εἰπεῖ θεοὶ γὰρ διὰ ἀδόντων θηλῶν αλέθουσαι, ιανάθαπος δὲ τὸ ἐνεργεῖον τῆς Χριστοῦ. suas catenas quibus vincitus fuit, dulci nomine appellat, μαργαρίτας πνευματικός & θεοπρεπέστατα δεσματα. vide in Bibliotheca Patrum Itagiæ, inter epistolas *Ignatii* p. 84. n. IV. p. 10. & 34. Quod manifesto exemplo declarat, quanta virtute divina & plus quam humana Religio Christiana se propagaverit, hominumque animis se insinuauerit. Quartam persecutionem excitavit vel acceptam a Trajano continuavit *Aelius Hadrianus*; quanquam alii hanc quartam non Hadriano sed Antonino Philosopho adscribant, hac forte ratione moti, quod Hadrianus per Quadrati & Aristidis apologiam paululum ex quo factus Christianis, atque Sereni Granii Afia Proconsulis litteris pro Christianis, mitigatus, eos non nisi criminis reos punire jusserit. De qua Adriani persecutione, & Christianorum sub ea constantia & facta propagatione Religionis Christianæ, conferri merentur, quæ in notis habet *Compendium historiae ecclesiasticae Gothanum part. II.* p. 216. in fine & p. 217. Quintas sub *M. Antonino* fuisse dicitur, cum occasione pestis undique grassantis, & bellorum, quæ a Parthis & Marcomannis Romanos premebant, paganorum sacerdotes omnem culpam Christianis imputarent, ut Diis invisis. Sub qua, propagationem Religionis Christianæ suo sanguine firmavit *Polycarpus*, *Apostolorum Discipulus*, de cuius Martyrio in Bibliotheca pa-

trum Itigii legi meretur Ecclesia Smyrnensis epistola p. 393. seq.  
 quæ ipsum voce e cœlo facta his verbis esse excitatum refert:  
 Ιχνε γε ἀνδρές, πολύπαρτε! cuius etiam corpus mediis in-  
 flammis visum est sicut aurum & argenum candens, tantamque  
 fragrantiam dedisse dicitur, ac si thus aut aliud quoddam pre-  
 tioforum ærematum oluisse. Apologiam tum temporis etiam  
 scripsit pro Christianis Atenagoras, Ateniensis Philosophus Chri-  
 stianus. Sextam persecutionem excitavit Septimus Severus, quam  
 inde natam esse dicunt, quod Christiani criminis latae ma-  
 jestatis suspeeti haberentur, quorum quidem defensionem  
 in suo apologetico in se suscepit Tertullianus. Quam adeo  
 gravem fuisse scribit Eusebius, atque adeo piis ea fuisse con-  
 turbatos, ut jam omnes existimarent Anticristum adesse, citante  
*Historia Gothana part. II. p. 238.* Sub qua Leonides Origenis pa-  
 ter, & e discipulis ejus plures fuerunt occisi, quem in fide  
 & constantia lubentissime & ultiro secutus esset Origenes filius,  
 tum puer, nisi a matre fuisset impeditus. Septima secuta  
 est sub Maximino Thrace, quæ etiam fuit acerrima, sed eccle-  
 sia potius antistites quam Christianos simplices vexavit. His  
 enim imperfectis, propagationem Christianæ Religionis pla-  
 ne irritam facere tentabat Diabolus, atque ut Lopus, tradi-  
 tis canibus, impune in gregem graffari. Octavam, ut succin-  
 ete rem absolvamus, movit Decius, quæ ex odio Philippi,  
 qui Decium anteceperat, fautorque Christianismi fuerat,  
 ortam esse, plerique putant. Quæ, cum fuerit acerbissima,  
 tamen constantiam plurimorum vincere non potuit, sed vi-  
 eta est. Steterunt enim torti torquentibus fortiores, & pulsantes ac-  
 laniantes unguis pulsata ac lanata membra vicerunt. Inexpugna-  
 bilem fidem superare non potuit sevens diu plaga repetita, quamvis  
 rupta compage viscerum, torquerentur in servus Dei jam non membra  
 sed vulnera, ut loquitur Cyprianus Epistol. VIII. confer etiam de  
 crudelitate hujus persecutionis testimonia Nysseni & Nazianzeni,  
 collecta à R. Kortholeo in libro de persecutionibus p. 223. seqq.  
 Nona persecutio fuit sub Valeriano, qui edictum proposituit, ne  
 christiani conventus facerent, neve coemeteria adixerint, quod  
 ipsis

\* (45) \*

ipsis in usu fuerat, ad testandam forte spem resurrectionis,  
super ipsa Martyrum sepulchra. Sub hac persecutione tru-  
cidatus est *Cyprianus*, qui ante in exilium ejectus fuerat:  
*Laurentius* quoque crati impositus, & ad ignem tostus est;  
quod quibus doloribus, & quanta crucis Victoria factum sit,  
facile judicari potest. *Decima & ultima*, persecutionum o-  
nanum atrocissima, fuit sub Diocletiano & Maximiniano,  
in qua *Draco rufus*, tot Martyrum constantia & sanguine vi-  
etus, ultima experiri voluit, an vel hac decima vice Chri-  
stianam religionem subvertere, ejusque propagationem im-  
pedire posset. Incredibilis pene est numerus eorum, qui  
in Egypto tantum sub hac persecutione trucidati dicuntur.  
*Centum enim & quadraginta quatuor millia fuisse* refert Historia  
Gothana part. II. p. 282. Quæ cum verbis *Sulpitii* hanc nar-  
rationem concludit: *etsi nullis unquam bellis mundus magis exbau-  
sus est, quam Christianorum suppliciis, tamen & majore Triumbo*  
*nemo unquam vicit, quam Ecclesia & Religio Christiana, cum decem*  
*annorum continuo fragib[us] totis, imo Tyrannorum omnium viribus,*  
*vinci non potuit. Persecutionibus enim, ut Hieronymi verbo, crevit,*  
*Martyris coronata est ecclesia Christi.*

§. 36. His decem persecutionibus transatis, ut eleganter Mor-  
næus loquitur, imperatores tandem ipsi cruci Christi colla submit-  
tunt, & imperia in ipsis umbra salutem quarunt, ut hic nobis sem-  
per redeundum sit, quod is solus ex nihilo, instrumentis fini contra-  
riis, mundo adverante, mundum imperio suo subjicere, mundum ab  
imperio Satana redimere potuit: qui primum ex nihilo cum nibil,  
dum ejus voluntati repugnaret, mundum olim crearat. c. 32. de Veri-  
tate Relig. Christ. Julianus quidem post hæc tempora etiam  
suis machinationibus Religionem Christianam licet non a-  
perte vi & crudelitate, subdole tamen variis modis oppug-  
navit. Sed ut vere & nou sine omni dixit *Athanasius*: Nu-  
becula fuit, que cito transit. Sufficere jam potest hæc decem  
persecutionum brevis ὥποτέ πως, quam vereor, ne quis jam  
longiorem putet, quam instituti nostri ratio id poscere vi-  
detur. Non enim nostrum est persecutions omnes accu-

rate secundum suas circumstantias describere, sed tantum ad ostendendam divinæ religionis propagationem, quam admirabilis sub cruce & tot infinitis impedimentis atque obstaculis ea facta, & divina potentia firmata sit, paululum explicare. Fusius etiam possemus afferre ipsa mala & impedimenta \*intestina, quibus a Pseudo-legalibus (conf. Dn. Presidis Diff. de Vera & falsa Doctrina p. 17-25-33.) Pseudo-Apostolis, haereticis & Antichristo, propagationi religionis varia sunt posita obstacula. Ea enim vel ipsis gravissimis persecutionibus periculofiora fuerunt, quippe propagationi Religionis Christianæ magis noxia, & quæ inter ipsa membra ecclesiæ per falsorum fratrum factiones, imo & ob alia mala domestica ac morbos credentium, similesque prætextus, post alia tantas scissuras fecerunt, & insuperabili offendiculo fuerunt obrectatoribus paganis, qui in cernendis vitiis ecclesiæ lynces erant, ad agnoscendam vero stultam paganismi superstitionem ipsis talpis cæciores. Sed satis jam fit recordari iterum iterumque eluctationis Paulinæ Phil. I, 15 - 18. 12. quia contrahenda sunt vela, ne forte nimium a scopo & instituto nostro deflectere videamur.

\* item de vero & falso studio propaganda ecclesiæ diff. de auctoritate ecclesiæ, qua MATER est §. 33. 35. 39. 41. 44.

§. 37. Si quis igitur æquo & attento animo considerabit, quantis fluctibus Religio christiana ipsiusque propagatio domi forisque sit impugnata, quantisque periculis & persecutionibus sit oppressa, non poterit non victoriam crucis glorioissimam admirari, propagationemque Religionis Christianæ vere divinam confiteri. Quomodo enim fieri potuisse, ut Religio mendax & fraudibus humanis conficta, sub tanto examine rigido, quod non verbis tantum, sed igne, gladiis, equuleis, patibulis, & omnis generis suppliciis crudelissimis factum est, constans, immutabilis, vel in fraudibus suis tam occulta perdurare potuisset. Imo ut magis dicam, quod cum tot tantaque regna armis fuerint subjugata, & multæ nationes plane sub cælo deletæ, ut vix de nomine ipsorum

ipsorum amplius constet, quomodo inquam fieri potuisset, ut sola Religio christiana, qua mendicorum propria obtestatoribus videbatur, omnibus viribus & consiliis extirpari non potuisset, cum ipsis extirratio toties a potentissimis principibus & imperatoribus intentata sit. Si humana fuit, & humanis viribus superari potuit: vel si non potuit, eo ipso se altiori principio gaudere, divinaque providentia conservari docuit. Hæc enim crucis victoria fane est divina, ut etiam *Origenes* per pulchre his verbis exprimit: *Omnibus jam inde ab initio Christo resistentibus, quo minus verbum ejus per totum terrarum orbem spargereatur, sua quibusque etatis regibus; eorumque tam militaribus, quam civilibus magistratibus, denique omnibus quam cunque potestate predictis, & oppidatim populorum presidibus, prefaetisque presidiorum, vicit tamen Dei verbum, quod sua natura opprimi se non patitur, invictumque permanet.* Itaque tot adversarii perdomitis, Graciam totam subegit, majoremque partem barbarie, atque traduxit ad pietatem innumeratas animas. contra Celsum lib. 1. Quid tale unquam accidit in terris, ut cum hac divina propagatione religionis Christianæ comparari posset? judæi & pagani, quod mirum, conjunctis viribus insurgunt, contra quem? contra Jesum Nazarenum crucifixum Actor. IV. contra ipsius duodecim Apostolos, & contra manipulum Christianorum. Pugnatur fraudibus, armis, suppliciis & stupenda crudelitate, vincunt, & ut Neroni factum, sibi tropæa ponunt, de superata, ut putant, superstitione. maestantur Christiani, ut oves, imo ut peccatores, ut scandalosi, ut ipsi inter se divisi & vacillantes, tota die, & miserrimis modis infinito numero trucidantur: sed dum vincunt hostes, vincuntur a victis, ut ipse fatetur *Numidianus* citante *Huetio* in Demonstratione evangel. p. 70. §. 21. propos. III. *Latius excise gentis contagia serpunt, vinctoresque suos, natio viita premit.* Semen enim est sanguis Christianorum, & plures efficiuntur, quoties metuntur, ut inquit *Tertullianus* in *Apologet.* contra paganos cap. ult. imo Hostes persequendo ecclesiam & Religionem Christianam, eam faciunt impinguescere interius, & fructiferam, ut *Haymo* ipse medio in,

Papatu

Papatu loquitur, citante D. Antonio in Diff. de Vita & Doctrina  
Haymonis, p. 32. 27. Parallelismum aliquem non minus videre  
licet in illa de Pathmo Lutheri §. 24. 26. 38. 30. 41. 43. 45. nec non  
de qualitate fundamentorum §. 28. 8. Nunquam enim Religio  
Christiana magis floruit, ampliorque ejus facta est propa-  
gatio, quam sub atrocissimis persecutionibus, & sub media  
cruce, qua tandem omnes mundi tentationes & Sathanæ per-  
secutiones superavit gloriofissime. Hoc sane divinum o-  
pus est, & nulla arte aut sapientia humana præstandum.  
Humanis enim viribus, pauci multis impares sunt, iisque ut  
victi succumbunt; solus vero Deus unus sufficit omnibus,  
& suam causam queri potest contra omnes hostium furores.

§. 38. Talia non passus est vel Paganismus vel Muhamme-  
dismus, quorum tota indoles respuit crucem, & nihil magis  
quam has Christianismi tentationes abhorret. Utraque e-  
nem religio destituta vi humana, plane concidit, tanquam  
sublato quo uno stabat. confer Grotius lib. IV. §. X. de Veritate  
Chr. Relig. Sola vero Religio Christiana, in Deo fundata,  
omnes mundi tempestates superat, deficienteque omni auxi-  
lio humano, fiducia in Deum eo firmius radicatur. Non i-  
gitur inique Hieronymus Savonarola de Paganismo sic loquitur;  
Profecto si aduersus philosophos, principes & Tyranni, quemadmodum  
contra Christianos, rationibus tormentisque certassent, illos exissimo  
fuisse vel prima apud se principia negatos. lib. II. de Triumpho Crucis.  
c. XIV. Inde etiam verissime pro Christiana Religione con-  
cludit lib. II. c. XVI. Scimus nullam Religionem sicut Christianam a-  
cerrime fuisse perpetuis temporibus impugnatam. Cetera enim Reli-  
giones vel fraudulente superstitiones, ea qua inducta fuerant vani-  
tate, nulla quedam modo vi nulloque labore defecerunt. Hec autem,  
velut Aurum purissimum, continute purgata flammæ, fulgentior ac  
major evasit: que certe flare non posset, si qua alia vera aut hec falsa  
esset. Et ita ex his omnibus impedimentis & obstaculis  
superatis, Religionis Christianæ propagatio agnoscitur ad-  
miranda & vere divina.

CAP.

\* (49) \*

CAP. V.

DE CHRISTIANÆ RELIGIONIS DURATIONE  
PERPETUA.

§. 39.

**T**andem vero paucis adhuc consideremus Propagationis Religionis Christianæ durationem perpetuam, ut quæ etiam ad probandam divinam propagationis indolem, multum conferre potest. Ea enim ut a Christo ipso est prædicta Matth. XVI. v. 18. & Matth. XXVIII. v. 20 sic etiam usque ad nostram ætatem magno Dei beneficio sub tot gravissimis procellis conservata est. Non tamen aliter hæc propagationis duratio perpetua concipi potest, quam ipsius natura permittit, ne ex illa faciamus Hierarchiam politicam, aut durationem imperii humanam; sed durationem crucis, qua cœpta propagatio Religionis Christianæ, nunquam cessat, sed continuatur usque ad consummationem seculi. Ut enim Ecclesia certo sensu plantata est, & semper adhuc plantanda sub cruce, sic & propagatio Religionis Christianæ facta est per priora secula, & per traditionem parentum, & majorum nostrorum ad nos venit, semper tamen adhuc Religio Christiana ex consilio & voluntate Dei propagatur, & adhuc est propaganda, idque non aliter, nisi sub perpetua cruce; sub qua sua divina duratione se hucusque conservavit.

§. 40. Pagani obrectatores quidem, ut in durationem Religionis Christianæ valde invidi erant, quam vi & armis extirpari non posse bene videbant, sic eam brevi tempore duraturam vaticinabantur, eaque vana spe se invicem consolabantur. Nonnulli plane ad illam audaciam sunt prolapsi, ut calculum subducerent, & annos durationis Religionis Christianæ numerarent, eam nempe tantum per trecentos & sexaginta annos esse duraturam. Albumazar vero tempus durationis prorogavit ad annum millesimum quadringesimum & sexagesimum. De quibus legi potest Morneus de Veritate Religion. Christ. c. 33. & Vossius de Idololatria gentilium libr. II. c. 48. p. 573. & Kortkoltii obrectator paganus p. 238. §. 1. Sed quam misere

G

his

His suis præagijs decepti sint, ipse docuit rerum Eventus,  
 & hodierna experientia, qua Religionem Christianam adhuc  
 florere, & admirabili sua duratione omnem humanam mun-  
 di & regnum mundi superare videmus.

S. 41. Habent quidem & Regna mundi & Religiones  
 ceteræ, etiam suam durationem, & eam habuerunt, sed po-  
 liticam, eamque brevem, & angustis terminis secundum pro-  
 videntiam Dei circumscriptam, neque cum hac propagatio-  
 nis duratione, quæ Religionis Christianæ propria est, ullo  
 modo comparandam. Maxima enim Regna *Assyriorum*, *Per-  
 sarum*, *Graecorum*, quin & *Romanorum*, quæ admirabili sane pro-  
 pagatione ad fines terra se expanderunt, & ad summa per-  
 venisse videbantur, ceciderunt subito, & præter sui obscu-  
 ram memoriam, vix ulla reliquerunt tantæ potentiaz, qua flo-  
 ruerunt, vestigia atque rudera. *Assyriorum*, ut Historici vo-  
 lunt, per XVII. secula duravit, Persarumque imperio tandem  
 cessit; hoc vero *Persarum imperium* vix ultra ducentos annos  
 suam durationem extendere potuit, atque Macedonum aut,  
*Graecorum* armis, non sine multo sanguine succubuit. Ipsum  
 quoque *Graecorum Imperium*, cui ob Alexandri Magni regnandi  
 libidinem & temeritatem vix unus orbis sufficere vide-  
 batur, hujus morte quam subito evanuit? & quod *Romanum*  
 vocamus, in suo flore & robore jam dudum esse desit, ut  
 vix præter nomen & memoriam, illius umbram amplius te-  
 neamus. Solus vero Christus permanet, regnumque ejus  
 sua religione propagatum, quamvis tenue & instar grani Si-  
 napis vile mundo visum sit, divina tamen potentia in tantam  
 magnitudinem excrevit, ut omnia mundi regna superarit  
 Matth. XIII, 31. 32. Est enim illud Regnum quod non huma-  
 na vi, sed divina manu instauratum est, quodque devastatis  
 & fablatis omnibus Regnis mundi, quamvis non sit de hoc  
 mundo. tandem implebit totum mundum, durabitque per-  
 petuo, ut patet ex Vaticinio Danielis c. II. v. 44. jam quidem  
 nondum revelatum, ut cum *Apolog. A. C.* loquamur p. 147. sed re-  
 dum cruce. & tandem omnibus in sua gloria spirituali mani-  
 festandum.

S. 42.

§. 42. Quod vero paganisum & Muhamedismum attinet, illi quidem amplam habere videntur propagationem, duratione Religioni christiana fere parem, sed non tam sene, quam Religio christiana, sub perpetua cruce & afflictionibus, verum armis & potentia conservatam. Nec tamen eam eternam posidebunt, sed gloria Christi devicti, ad scabellum pedum Christi tandem succumbent, ut testatur scriptura, *i. Cor. XV, 25.* Paganismus quidem jam dudum in maxima orbis parte expulsus videtur, & vim doctrinæ christianæ sustinere non potuit, nec forsan tantas radices in mundo reliquisset, nisi major libido esset hodiernis sic dictis christianis dominandi, quam doctrinam christi propagandi. Auctum quidem situnt paganorum, & ipsorum regna ad se rapiunt, sed ipsorum conversionem quis serio curat? & de propagatione religionis christianæ inter eos, quis solitus est? Nonne altum de his est silentium! nisi Deus vel unum & alterum Principem \* excitaret, qui serio id ageret, (ut laudabili suo exemplo nostra etate docet Potentissimus Rex Daniaæ) omnem curam propagandæ religionis christianæ nos abiecisse videremur. De Mahumedismo ne verbum quidem addam, cum in aperto sit, & proselytos captivos inter nos, ita plerumque converti, ut perversi nunquam magis, filii gehennæ fiant duplo magis, quam antea *Massib. XXIII, v. 15.* Sed non sic semper erit, sed consumetur tandem malus de terra, *Ps. CIV, 34. 35.* & Christus inter gentes, iudeos & Turcas, tandem sua gloria triumphabit.

\* *Dn. D. Mich. Fortschii brevarium controversiarum modernarum §. 39. & Dn. D. Fr. J. Lüttens Resp. ad disp. quandam de Pseudapostolis, adnexa prime continuationi des Berichts derer R. Dänischen Missionarien in Ost-Indien.*

§. 43. Interim tamen propagatio religionis christianæ nunquam subsistit, sed sub cruce progrereditur, & sub his gravissimis mundi & bellorum motibus non impeditur, sed promovetur. *Omnia enim, ut verissime & elegantissime loquitur Hugo Grotius, omnia regna & bella mundi famulantur Regno Christi.*

*& propagationi Religionis Christiana inserviunt.* Amplior tamen ad finem saeculi omnino adhuc est expectanda propagatio, etiam exterua inter gentes, jam sub spissis Paganismi tenebris viventes, ut & iis Lux mundi illucescat, & Gloria Iesu Christi totum mundum impleteat. Christus enim aperte confiteratur Matth. XXIV, 14. ante finem saeculi annunciarci debere evangelium in toto terrarum orbe, & omnibus gentibus. Et Paulus ad Romanos XI. v. 25. tanquam μυσήγορ fidelibus non occultat fore, ut πληρωματῶν θνῶν ingrediatur, & tum etiam πᾶς Ἰσραὴλ salvetur. Quod cum multi tanto Zelo impugnant, cum sint pretiosissimae Evangelii promissiones, & tum ex verbo Dei, tum ex tota Oeconomia Dei cognoscendæ, produnt sane ii suam invidiam plus quam Judaicam, de qua supra egimus §. 29. Ieq. cum id, si sinceri esse velint Christiani, seruis votis a Deo expetere, & cum maximo gaudio sperare debeant. Optime enim Hieronymus Savonarola ipse, in facie Romanæ ecclesiæ recentioris constitutus, inquit: *Ubi ultrix ira Dei in personis Christianos exterioresque infideles completa fuerit, ecclesiam illum suam renovaturum, atque universum terrarum orbem ad se conversurum esse confidimus, ut fiat unum ovile & unus pastor.* Quod non procul abbini omnino fore speramus. Atque ita per varias temporum vices, nunc prospere nunc adverse navigans Petri navicula perseverabit, donec veniat dies domini magnus: in quo manifesta erunt abscondita tenebrarum, justissimaque Dei iudicia tum demum cognoscetur. Cum quibus conferri potest Henricus Morus lib. IX. in mysteriopietat. p. 422, §. 4.

§. 43. At hæc non, ut pomum Eridos, cuiquam obtrudimus, sed si modo non ex invidia Judaica, & Zelo falso, hæc ut fanatica calumniari velint, suo sensu abundare, & sua cognitione gaudere lubentissime permittimus. Non enim novitatis pruritus, aut contradicendi cacoethes, me hæc testari cogit, sed gaudium evangelicum, quod de victoria crucis ex Scriptura intra me percipio. Tum enim quod corrupta rationi fuit perpetuum offendiculum, evanescet, & crucis mysterium transfibit in gloriam inenarrabilem. Tum ju-

stifi-

justificabitur Deus in omnibus viis & operibus suis, & obmutescent obmurmurantium ora, videntes crucis victoriam, & triumphum fidei gloriofissimum. Jam enim, ut Henricus Morus pulchre loquitur, stulti & infantes juxta vulgatum proverbium, verum, dum moventur, inidonei sunt spectatores, ne scirent enim quo tendant. Nec mirum est, si mundus stupidus ac imperitus, in contemplanda providentia, multum animo confundetur, usque dum Magnus illa Dramista Deus, periodum perduxerit prope ultimam rerum catastrophen. Tunc enim pro certo cælum terraque reboabit hac acclamatione sive plaudite, Vere est fructus iusto, utique est Deus iudicans in terra. In Mysterio pietatis, p. 82.

§. 45. Sed antequam hæc crucis victoria erit complenda, pugna ultima & vehementior, quam ulla alia christianam religionem expectat, qua non solum ab Antichristo communiter sic dicto impugnabitur atrocissime, sed etiam ab Atheis, Epicureis, & scepticis, qui ima miscebunt summis, & sancta profanis. Ita enim docent sacræ litteræ, quod venturi sint ἐν ἡχάταις ἡρόες καιροὶ χαλεποί, in quibus pessimi futuri sint homines, quos longa ferie describit Paulus & Timoth. III. v. 7. 2. 3. 4. 10. & Petris 2. Epistol. c. II. toto cap. III. ubi dicit in ultimis diebus venturos esse Emp̄ætas, quorum jam plena sunt omnia, & Epistola Iudeæ tota. Hic erit patientia sanctorum! Apocal. XIII. v. 10. ad sanguinem usque enim pugnabunt, & vincentur a bestia, usque dum ipsorum sanguinem ulciscatur Deus justissimus, eamque, quam incepit christianæ religionis propagationem, ad finem perducat felicissimum. Armandus igitur in tempore est animus, & veritatis Thorace muniendum est pectus nostrum, ut consistere possimus ἐν τῇ πινέᾳ τῇ πονηρᾷ induenda est πανοπλία Dei, contra πιθόδια Diaboli. Res enim nobis erit non cum Carne & sanguine solum sed cum principibus tenebrarum, & περὶ τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας nobis erit pugnandum. Ephes. c. VI. Ipsè aliquando ex ore Speneri audivi, quod postea typis expressum inveni P. 3. Theol. Bedenken: wie in nicht langer Zeit einem Studioso Theologię möcht vor andern controversiis

nöthig werden / sich auf den Kampf gefestzt zu machen mit den Atheisten / als welches dasjenige Teufels Gift zu seyn achtet welches vollends zu lebt dem Faß den Boden ausschaffen muß. p. 451. Consil. Lat. P. I. p. 19. a. Ibidem non nihil habetur de selectu argumentorum in ista quidem causa habendo. Deus autem causam suam non deseret, sed contrito serpentis capite, sub his ipsis fugillationibus calcanei Christi, hanc propagationem Religionis christianæ sub cruce factam & firmatam, plenissimo tandem consummabit Triumpho. Interim ad istam victoriae consummationem militant constanter ecclesia & Religio Christiana, non armis mundi, sed precibus ac Lacrimis; Christus enim, ut Lutherus loquitur in commentario aureo ad Galatas Cap. I. adv. 7, hic cum suis infirmis est. Regnum vero mundi & diabolus princeps ejus fortis est, speciosa denique est prudensia carnis, sed hoc nostrum solarium est, quod Diabolus cum suis membris efficer non potest quod nullus. Perturbare aliquot Personas potest, sed Evangelium Christi exortere non potest. Veritas periclitari potest, perire non potest: impugnatur quidem, sed non expugnatur, quia verbum Domini manet in eternum! Ps. 22, 27, 32. Zach. 6, 12.

§. 46. Ex his omnibus igitur, quibus probavimus admittandam & divinam propagationem religionis christianæ, hoc certissimum sequitur πόρομα: VERAM ESSE RELIGIONEM CHRISTIANAM, & præter eam aliam plane nullam. Vera est religio christiana! Autorem enim habet divinis characteribus signatum, & ipsa cruce justificatum, quod in nullum unquam cadere potest impostorem: Vera est! ministros enim suos propagationis agnoscit Apostolos, non ulla prærogativa seculi sed crucis, & crucis victoria clarissimos, quos tales nulla alia religio, quæcumque sit, nobis sistere potest: Vera est! doctrinam enim docet, quæ sua indole non carnem sapit, sed tota ad crucis sapientiam est conformata, quam cæteræ religiones, ut stulticiam respununt. Vera est, tot enim afflictionibus atque persecutionibus, tanquam sub mediis flammis tentata & probata est, & his omnibus victrix superior stetit, superato paganismo, judaismo, & Muhemedismo

Vera

\* (55) \*

Vera est! divina enim duratione sub perpetua cruce hucusque  
se conservavit, & conservabitur usque ad seculi finem, ita ut  
nec portæ inferni prævalere, & eam superare possint. Sane,  
aut nulla in mundo datur veritas, aut Religio christiana vera  
est. Nulla enim veritas, vel pluribus, vel majoribus, vel divi-  
nis magis, probari potest rationibus, quam hæc Religio chri-  
stiana, adeo ut demonstratio veritatis religionis christiana non  
minus, imo multo magis certa nobis, quam demonstratio quæ-  
vis mathematica videri debeat. Gloria sit Patri! Gloria sit filio!  
Gloria sit Spiritui sancto! Deo uni, Deo trino, Deo abscondito  
sed Salvatori, (*Esa. 45. v. 5.*) qui sub cruce Religionem planta-  
vit Christianam, eamque huc usq; propagavit & conservavit,  
conservabitq; contra omnes Draconis insultus & crudelissimas  
persecutiones. Ipsi soli sapienti, soli potenti, debetur in terris  
arque celis, omnis Lans, aternus Honor, infinita Majestas, per-  
dixeras tñv dñovwv. Amen! Amen!

Ep̄īustgov

ex Phil. Melanchthonis epistolis.

A. 1524 Erasmo Roterodamo: Non raro deplorat Lutherus,  
privatis cupiditatibus prætexi religionis vocabulum. Quanquam  
autem his malis vehementer commoveatur, tamen cum hæc  
scandala excitari a diabolo judiceret, in hoc, ut opprimatur  
quoquo modo evangelium, negat se debere παλινδρομεῖν, aut  
publicam caussam deferere.

A. 1525 Joach. Camerario. Tu videre mirifice tecum lucta-  
ri, & cum animo tuo de religione conflictari. Hunc ego αγῶνα  
sane tirocinium pietatis interpretor, & significationem timo-  
ris Dei. Sed hic tibi, dum ἐνθεσιατρός, certiorum requiris,  
præstandum est, ut firmo animo sis, & qui se divina voluntati  
permittat, etiam si non statim quæ tu velles, & ut velles, De-  
us dederit. Opinor & nunc mullos, & olim nascientis ecclesiæ  
temporibus innumerabiles a religione descivisse, propterea  
quod non statim contigerit ubiorem gustum facere cœle-  
stium illarum rerum, quas promittit religio. Certe πορφύ-  
ρος in hanc sententiam multa disputatione. Tantum hoc ha-  
be, certas consolationes καὶ θεοπρεψας hanc sere sentiri, nisi  
in

in magnis calamitatibus, & seris animi angustiis. Nam per crucem se Christus nobis ostendit. Egoque ita sentio, nisi in malis, abusuros nos esse donis illis. &c.

A. 1539. Hermanno archiepiscopo Colonensi. Opto talem concordiam, quæ non inducat caliginem veritati, sed ut firma & ad posteritatem durabilis concordia constituatur. Nam fucosa non sunt durabilia.

A. 1543. Argentinam Petro Martyri. Valde me movit imago, quam nobis intuendam proponis, cum dicis, tunc fibi diabolum maxime accertere cladem, cum atrocissime sicut. Hic me de omnibus ecclesiæ temporibus admonuisti.

A. 1544. iterum Camerario suo, de rannoniis. Etiam in iis locis, quæ servitute nova oppressa sunt, constituuntur ecclesiæ, credo animis jam ad cælestè auxilium confugientibus, postquam pugnare non possunt. Et spero, Deum reliquias ecclesiæ, ut semper, servaturum esse mirabili modo. Nam vides præsidia humana nulla esse. A. 1545 eidem, & magnati cuidam Hungariæ: docent nos universa omnium temporum historia, & nostræ miserie, tutos esse homines non humana diligentia, non præsidii humani, non opibus ullis, sed Deo protegenti. Monet Deus, dicerendam esse ecclæsiæ suam a mundi imperiis, & servari inter regnum ruinas.

A. 1548 Georgio Principi Anhaltilo. Res nos cogit fateri, non humanis consiliis ecclæsiæ servari. Sed invocatio tamen necessaria est, & mediocris diligentia in conservanda doctrina. Vel gementibus Deo jubet parci. -- Si genus humanum calu aut tantum natura legibus sine Dei gubernatione regeretur, nec servata esset ecclæsia antea, nec deinceps scruraretur in tam horrendi confusionibus.

A. 1553 Melchiori Junio, Pastori Calvensi. Scis, utrumq; voce divina predictum esse. In hac delira mundi senecta, & futuras esse majores generis humani confusiones, quam fuerunt antea: & tamen Filium Dei eternam sibi ecclæsiæ collecturum esse, etiam inter ruinas imperiorum. Feramus igitur communies labores placide. -- De utroq; iisdem fere syllabis incipit epistola Philippi (scripta Dredæ) Pastoribus in finibus Bohemiae & Lusatiae A. 1555. imo & A. 1554. Senatoribus Eperiensibus. A. 1553 Thomæ archiepiscopo Cantuariensi; ne rursus dicam de Georgio Anhaltilo, vel de Jo. Matthesio, Crucigero & aliis. Tam firma cuius hoc in Philippi corde de illo utroque tententia.

#### EPIPHONEMA!

**S**O siegt zu lezt das Kreuz nach vielen harten Kämpfern! Und wird am Ende noch durch den Triumph verklärt; Vernunft und alle Welt kan Göttes Werk nicht dampfen! Das wir ein reines Gold im Feuer wird bewahret. Das Kreuz behält das Fels und alle Macht der Erden. Muß gegen seine Macht ZULETZ zu schanden werden.





76 2458



f

Sb.

1012

Archiv  
vom



# Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Centimetres  
Inches

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

B. V.  
THEOLOGICA  
E

A PRO-  
ONE RELI-  
CHRISTIANÆ  
VRCE,

am  
RIDERICIANA  
SIDE

ANTONIO,  
st.Duc.Magd.Confil.

nini subjecit

TOR  
TVS Sedide/  
Arch. iam V. D. M.

A. MDCCVIII.

ALTERA  
e Nouembri.

AGDEBURGICAE,  
Æ ZEITLERI, Acad. Typ.

